

M.V
70

of I

A

PI

AD



Vidua

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE

FEBRIBUS.

PARS PRIOR.

IDEA FEBRIUM,

QUAM

UNA CUM SUBJUNCTIS EX UNIVERSA MEDICINA
COROLLARIIS,

A U S P I C E

DEO TER OPTIMO MAXIMO
ANNUENTE INCLYTO SENATU MEDICO,
IN ALMA WIRCEBURGENSI UNIVERSITATE,

PRÆSIDE

JOANNE PETRO EHLEN,

Philosoph. & Med. Doct., hujusque Profess. Publ.
& Ord. Reverendiss. ac Celsiss. S. R. I. PRINCIP. Franc.
Orient. Ducis Conf. Aul. & Archiat. Hosp.
Jul. Protomed.

Exantlatis de More examinibus,

PRO SUPREMA DOCTORATUS MEDICI LAUREA
PUBLICÆ DISQUISITIONI EXPONIT

ADAM. QUIRIN. HENDINGER *Gerlocurianus*

AA. LL. & Philosophiæ Magister.

Loco horisq̄ue consuetis Die XI. Jan. MDCCLIX.



Typis

Viduæ Joannis Jacobi Christophori Kleyer, Universitatis Typogr.
Per Wolfgangum Christophorum Kohles, p. t. Factorem.

Med. V. 70

28e

Febris, si phaenomena spectes, reliquis morbis
est notior, si constitutionem & causam, omnium
ignotissimus. BAGLIV. *Lib. I. Cap. 13. §. 5.*

1372 490 01

REVERENDISSIMO
ET
CELSISSIMO
S. R. I. PRINCIPI
AC
DOMINO,
D. ADAMO
FRIDERICO
D. G. EPISCOPO
BAMBERG. & WIRCEBURG.
FRANCIÆ ORIENTALIS DUCI
&c. &c.

*DOMINO DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO.*

REVERENDISSIME
AC
CELSISSIME
S. R. I. PRINCEPS,
DOMINE DOMINE
CLEMENTISSIME!



*Indulisti facilè, quæ TUA clementia est,
ut tenues hujus dissertationis pagellas sa-
crato TUO Nomini inscriberemus. Ut
enim Ipse humanioris æquè ac sublimioris eruditionis
admirandâ polles copiâ, itâ non potes non esse literarum
amantissimus, earûmque Mæcenas & amplificator im-
pensissimus.*

Hanc

Hanc animi TUI verè principalis eximiam in literas propensionem haud dubio testimonio loquitur singulare illud atque adedè ab exteris deprædicatum studium, quo inter innumeras alias calamitosi hujus temporis sollicitudines scientiarum omnium, imprimis verò saluberrimæ medicinæ cultum in amplissima Universitate nostra promovere curis non perfunctoriis allaboras; indignum ratus, ut eo loco, in quo singularia illa nec ubivis locorum facilè obvia adminicula TUIS potissimùm ordinationibus & impensis abundant, quæ tum ad omnigenarum scientiarum, tum ad vastissimæ Medicinæ addiscendæ apparatus necessaria non solum, sed vel utilia esse possunt, hæc artes & disciplinæ summum apicem non consequantur.

Enimverò ut ea fileamus, quæ solertium professorum non vulgaris scientia, docendique dexteritas & industria ubivis locorum efficere potest; certè botanices & anatomice locis sumptibusque publicis demonstrandæ occasio apud nos eò pretiosior est, quò copiosiori tam indigenarum quàm exoticarum herbarum penu amplissimus hortus botanicus abundat, in eoque situm Thea-

trum anatomicum, operâ non minis splendidâ quàm utili & commodâ exstructum, necessariis cadaverum secandorum suppetiis rariùs carere solet.

Quibus Universitatis nostræ prærogativis si addis matheseos & experimentalis physicæ cultissimum studium & instructissimum cubiculum, recénsque TUO jussu adornatum speculum mathematicum, nihil eorum deesse videtur, quæ ad complementum studii medici desiderari possunt.

Hæc TUA in rem literariam singularia merita & in promovendis artibus occupatissima studia nobis animum & calcar addiderunt, ut huncce laborem academicum veluti publicæ gratitudinis testimonium audeamus sacratis TUIS manibus offerre, simulque eorum, quæ nostris in scholis obtinent, principiorum docendique methodi specimen aliquod, licet exiguum, orbi literato exhibere; spe freti, fore, ut hi nostri conatus, quemadmodum TUIS potissimum adhortationibus & ad declarandam conformem TUIS desideriis in excolenda medicina voluntatem nostram pro tenuitate virium nostra-

rum editi fuerunt, a Reverendissima Celsitudine TUA
æqui bonique fiant: qui favor si nobis contigit, æquum
literatorum judicium opellæ nostræ defuturum non esse
confidimus.

De Febre sermo nobis est: cujus cum nocens adeo
frequentia sit, ut ex illa ferè moriamur omnes, quocun-
que demum alio morbo laborare videamur, optamus ar-
dentissimis votis, non tantum, ut ea quàm diutissimè a
dignis immortalitate visceribus TUIS absit, sed etiam
ut nulla unquam morborum molestia perspicacissimæ
juxta ac indefessæ mentis TUÆ agilitatem aggravet &
impediat, quò minùs TUIS impostero curis ac labori-
bus, ut strenuè atque feliciter fecisti hactenus, communi
Patriæ & Imperii saluti vigilantissimè prospicias.

Nec vana futura esse hæc vota nostra ex eo spe-
rare quàm maximè licet, quòd omni lapide philosophico
efficaciorem medicinam prophylacticam in ea vivendi ra-
tione Ipse TIBI elabores, qua auream sobrietatem in cibo
& potu cum animi affectuum tranquillitate motuque corpo-
ris conjungere sapientissimus TUI Medicus assuevisti.

Susci-

*Suscipe igitur eâ, quâ diffuis in omnes, gratiâ li-
neas hæcce medicas, humillimi nostri sed devotissimi simul
in TE affectûs testes, quo id unice ambimus, ut tanti
Principis obsequiis inter alios omnes servos TUOS,
quos neque cupiditas, neque assentatio, nec imperium
subjicit, sed amor TIBI devincit, immori nobis liceat.
Ità rovent*

**REVERENDISSIMÆ
CELSITUDINIS
TUÆ**

*subjetissimi & humillimi
Præses & Defendens.*



IDEA FEBRIS.

THESIS I.



Sicut omnis morbi, sic & febris idea
sive diagnosis ex illius symptoma-
tibus peti debet.

Symptoma non eo rigore hîc sumitur, quo illud defi-
nit BOERHAV. (a) esse illud præternaturale, quod ex morbo
est causâ, in corpore ægroto fit, idè, ut distingui tamen queat ab
ipso morbo, ejûsque causa proxima: sed latiùs cum Galeno pro
omni eo, quidquid præter naturam animali accidit: seu quid-
quid in ægro a sanitate diversum observatur (b). Ergò pro
omni phœnomeno sive apparentia morbosa, pro omni ef-
fectu, pro quavis mutatione corporis, quæ læsionem solita-
rum in statu sano actionum aut qualitatum sensibilibum mani-
festat, & proinde Medicum physicum in cognitionem eorum,
quæ

(a) Instit med. §. 801.

(b) Vid. DE SAUVAGES Pathol. Method. Pag. 23. N. 11.

quæ in corpore vel circa illud aguntur, veluti signum quovis modo deducere potest.

Quidquid scimus in physicis, per sensus addiscimus: igitur mediantibus illis phænomenis, quæ in sensus cadunt, rerum ideas nobis effingimus, & de illarum natura, indole, proprietatibus &c. judicamus: abstrusæ enim earum essentia a priori cognosci non possunt, nisi ab illo, qui modum & media, quibus illæ componuntur & generantur, penitus intuetur; uti e. g. horologium aliâve machinam inspicere possumus. Quæ cum in plurimis ignoremus, cognitio nostra eò circumscribitur, ut ab effectibus ope sensuum detectis rerum naturam a posteriori eruere cogamur.

THESIS II.

Innumera ferè sunt & diversissima symptomata, quæ febres comitari possunt & solent.

Veluti languor, anorexia, dolor & gravitas artuum, frigus, tremor, pallor, pulsus velocior, calor, æstus, rubor, cephalalgia, nausea, cardialgia, diarrhæa, vomitus, sitis, siccitas, anxietas, sudor calidus vel frigidus, pervigilium, stupor, delirium, coma, convulsio, lipothymia, virium prostratio, fordes oris & linguæ, angina, singultus, dolores interni & externi varii; tumor œdematosus, phlegmonodes, erysipelatodes; subsultus membrorum, adipsia, surditas, aphonia, cæcitas, ophthalmia, cutis & oculorum sordities, urinæ rubor, pallor, variæque decolorationes, contenta varia; fœcum alvinarum variæ mutationes quò ad consistentiam, colorem, putorem; sudor acidus aut fœtens; carbunculi, anthraces; tussis, coryza, sputa varia, raucedo, dyspnœa, orthopnœa, asthma, ster-

tor,

tor, ardor interiorum, & frigus exteriorum, collapsa facies vel inflata, oculi concavi, flavi, rubri, opaci fixi, &c. &c.

Priora horum symptomatum in febribus ordinariis & non adeo periculosis adesse solent. Reliqua tum in ardentibus, uti *siccitas, aestus, sitis inexplebilis*: tum in putridis, uti *siccitas, anxietas, ardor, cephalalgia, delirium, vomitus, diarrhæa*: in malignis *ingens & subita virium prostratio stupor, delirium, singultus, os & lingua sordida, aspera, crustacea; angina, fæces & urinae variæ*: in inflammatoriis *siccitas, sitis, dolor variarum partium, inquietudo*: in intermitentibus præter alia *tumores œdematosi*: in apoplecticis *stupor & sensuum imminutio, abolitio &c. &c.* uti in divisione febrium patebit.

Hæc diversitas & multitudo symptomatum indolem febrium valde abstrusam, earumque doctrinam admodum intricatam reddit.

THESIS III.

QUæ quidem non omnia febris ideam generalem ingrediuntur, cum plurima eorum possint adesse & abesse a febre.

Nemo febricitans omnia recensita symptomata simul patitur, sed variæ tantum febres variis symptomatibus stipantur pro vario febrium genio, vehementia, magnitudine, tempore, pro varia partium affectarum functione. Igitur non omnia ingrediuntur conceptum febris in genere, de qua hic agitur, sed ex eorum absentia vel præsentia varia febris species, magnitudo, parvitas, vehementia, lenitas, malignitas, benignitas, simplicitas, complicatio,

periculum, augmentum, status, & quæ sunt similia in febribus observanda, indicantur.

THESIS IV.

Illa demum symptomata sola conceptum generalem febris suppeditant, ex infinitis jam recensitis, quæ in omni febre adesse observantur, quibus præsentibus omnes febrem adesse, quibus absentibus eam abesse ajunt.

Sicuti habemus signa pathognomonica sive essentialia, quibus morborum essentiam & indolem cognoscimus; sic quoque dantur symptomata essentialia, ex quibus signa pathognomonica petuntur, & quibus præsentibus morbus adest, mutatis morbi indoles mutatur, absentibus idem morbus abest.

Empyrici ex concursu talium symptomatum & de morbi indole & de methodo medendi statuebant, non solliciti de causis continentibus sive proximis, utpote abditis & incognitis. (a).

THESIS V.

Horripilatio, pulsus frequens & calor potissima sunt, quæ ferè in omni febre ex causa interna adsunt. (b)

Vix

(a) Vid. LE CLERC Hist. Med. Part. 2. Libr. 2. Cap. 5.

(b) BOERHAV. Aph. §63.

Vix datur febris, faltem quæ cadit in considerationem practicam, & a caufa interna, id est, quæ in corpore jam ante febrem præexiftit, orta fuit, in qua non adfint hæc tria fymptomata: femper præcedit fensus alicujus frigoris nunc majoris, nunc minoris, cum pulſu ut plurimum frequentiori, etiamſi debili & oppreſſo interdum, ſubſequo dein calore majore vel minore & pulſu increſcente: exceptiones ab hac regula cadunt in paucos caſus, & in ſequentibus memorabuntur.

Horripilationis nomine hîc veniunt variæ frigoris febrilis ſpecies, utî horror, rigor, algor, uſitata authoribus nomina.

Horror vocatur levis contremiſcentia ſ. concuſſio corporis cum frigoris ſenſu (a). In partibus corporis externis tantum percipitur, vulgòque dicitur: *ein überlauffen, oder Schaur.*

Rigor eſt conſtrictio fortior utcunque tremula mufculorum cum refrigeratione (b). Gravior itaque eſt horrore, & ſub eo ægroti in interioribus corporis ſenſum frigoris percipiunt: *es frieret ſie von innen bevaus.*

Algor ſive frigus patet, eſtque modò majus, modò minus (c).

Calor itidem varius eſt, major, minor, externus, internus, &c. (d).

Pulſus frequentior dicitur, qui ſæpius intra datum tempus pulſat, quam in ſanitate fieri ſolet. In ejus exploratione

(a) GORTER. in Aph. Hyppocr. 56. Sect. 7.

(b) GORTER. in Aph. Hyppocr. 47. Sect. 4.

(c) Vid. GORT. Comp. Med. Tract. 52.

(d) Vid. Illuſtr. v. SWIETEN Archiat. Caſar. Comment. in Aph. BOERH. 673. de Calore febrili.

tione respectus haberi debet ad ætatem, & temperamentum ægroti, cum pueris & sanguineis naturaliter soleat esse frequentior, quàm adultis & melancholicis.

Pulsus febrilis hoc habet peculiare præ alio quovis pulsu frequentiori e. g. infantum vel in palpitatione cordis, aut convulsione, ut certâ lege progressionis cujusdam paulatim ad summum quendam frequentię terminum crescat, indeque inverso quasi ordine rursus imminutâ sensim velocitate in statum naturalem redeat, si febris intermittens fuerit, vel aliquid saltem frequentię amittat, si tantum remittens sit.

THESIS VI.

HINC GORTER febrim vocat *eum morbum*, qui incipit cum horripilatione, frigore corporis & pulsu debiliore ab interna causa, pergit cum majore calore, pulsu frequentiore & duriore, recedit cum calore temperatiore, pulsu suâ duritie & frequentia magis ad statum sanorum accedente, atque plerumque cum erumpente sudore, habens his tribus stadiis adjunctam ægri-
tudinem (a).

Hæc febris descriptio petita est ex ipsius febris decursu & mutationibus tam in ejus initio & augmento, quàm in vigore & declinatione sibi succedentibus: verumque est, ubi hæc phænomena in aliquo morbo deprehenduntur, ibi febrem esse. Sed potest febris adesse, quin hæc phænomena compareant omnia. Hinc in natura febris indaganda
majo-

(a) Prax. Med. System. Num. 191.

majorem simplicitatem, sive id inquiri volunt Theoretici, quo præcisèposito febris adeste intelligitur.

THESIS VII.

SEd, licet horripilatio & calor ferè in omni febre adsint, non adsunt tamen omni febris tempore.

Horripilatio tantùm adest initio febris continuæ, & initio paroxysmorum in intermittentibus, & aliquoties in remittentibus: deinde evanescit, & non adest reliquo febris vel paroxysmi tempore: neque adest initio febrium ortarum a causâ externa, id est, a motu majore, labore, cursu, frictione, calore externo solis, hyppocausti, balnei, potu, cibóque calefaciente &c.

Calor non adest statim ab initio, sed demum post frigus successivè oritur, & sensim intenditur, saltem in febribus legitimum ordinem habentibus.

THESIS VIII.

SOlus velocior pulsus in quàm plurimis febribus plurimóque febris tempore adest (a).

In febribus ordinariis, seu nullâ malignitatis notâ suspectis jam a primo insultu pulsus est frequentior, quamvis depressus & debilis, qui non solum reliquo febris tempore perdurat, sed deinde sensim frequentia, robore & plenitudine increfcit: post statum verò iterum pari modo
decre-

(a) BOERHAV. Aph. §70.

decrefcit, donec ad rythmum naturalem ceffante febre redeat (a).

THESIS IX.

Propterea generalem febris ideam in fola pulfûs velocitate pofuit BOERHAVIUS (b).

Cùm nullum fympfoma tam conftanter in omnibus ferè febris & omni plerùmque tempore febris adfit, quàm pulfûs velocior, rectè ex eo genuinam febris ideam defumere poffumus, hâc fequelâ, ut, ubi velocior pulfûs obfervatur, ibi febrem effe pronuntiemus.

Neque abfûrda eft hâc fequela: faltem, pulfû exiftente frequentiore, febris adefit, licèt forfan leviffima, nudâque fit fatellitio aliarum actionum læfarum; licèt caufa hancce febriculam excitans levis fit, e. g. motus aut labor paulò fortior, excandefcentia, potus fpirituofus, &c. eadem enim caufa, quacùmque demum levis videatur, fi diutiùs applicaretur corpori, vehementiffimam febrem producere poffet (c).

THESIS X.

Sed hâc febris fimplicitas, quæ folo pulfû velociore circumfcribitur, fpeculationibus theoreticis quidem fatisfacit, in praxi verò locum ferè nullum habet.

Qui

(a) Vid. Thefin V.

(b) Aph. § 71.

(c) Vid. Comment. Illuftr. v. SWIETEN ad hunc Aphor. ()

Qui febrem ex solo pulsu frequentiore habet sine alia ægritudine, uti serè post partum, motum, laborem &c. contingit, non credit, nec sentit se ægrotare, ac propterea medici auxilio non indiget; nisi præter pulsum velociorem malè habeat saltem ex calore molesto, siti, lassitudine, dolore, aliisque læsionibus actionum, ægritudinem aliquam homini afferentibus. Sicque febris in ea simplicitate, quâ pulsum tantùm velociorem exhibet, in considerationem practicam non cadit; nisi alia simul adsint symptomata ejus præsentiam condeklarantia.

THESIS XI.

IMò ipse pulsus velox nec omni febris tempore, nec in omni febre semper adest.

Non omni febris tempore; quia non semper adest initio februm intermittentium præsertim in senibus & melancholicis. Non adest initio februm soporosarum, in quibus potius tardus esse solet.

Non adest in omni febre: cùm in malignis quibusdam nec calor, nec pulsus naturali dissimiles sint, sed urina bona, pulsus bonus.

Præcipuè verò non adest in symptomatibus febrilibus, dum e. g. dolor aliquis certo tempore alicubi affligit, nullaque alia signa latentis febris apparent, quàm periodicus ejusmodi symptomatis recursus (a).

THE-

(a) Vid. Thesin XIV.

THESIS XII.

ITaque febris idea plenior & observationibus practicis accommodatior illa erit, quæ præter velociorem pulsum, caloris naturalis mutationem & ægritudinem sive læsionem actionum aliarum simul includit.

Post allegatas, modò exceptiones a regula generali, illa nihilominus inconcussa manet: manet *pulsus velocior* cardinale & primarium signum cognoscendæ febris. Si verò pulsus velocior non adest, & tamen suspicio febris sit, cogitandum de hisce exceptionibus, & inquirendum in alia signa condeterminantia febrémque simul manifestantia, qualia sunt

Caloris naturalis mutatio vel infra gradum naturalem uti in principio præfertim intermittentium præsentente frigore: vel ultra sanitatis modum, uti in incremento quarumcunque febrium, nisi malignæ fuerint.

Actionum læsio, saltém languor, lassitudo, capitis vel alterius partis dolor, fitis, aspredo vel sordities oris, aliæve molestia.

Si tria hæc adsint, nemo de febre dubitare potest. Si pulsus velocior solus sine calore majore aliisque symptomatibus adsit, multi negant febrem adesse, quia nulla alia ægritudo conjuncta est, uti fit in levissima brevissimæque ephemera a causis externis producta. Si pulsus naturali non major, & calor similis sit, febris abesse creditur.

Sed diligenter advertendum est ad alia symptomata, an non justò major debilitas, stupor, obscura deliria, linguæ siccitas aut sordities, aliæve læsiones, febrium comites,

tes adsint, & justam latentis malignæ febris suspicionem suppeditent.

Febrem ergò dicimus *eam mutationem corporis sive eum morbum, qui vel pulsus velociores, vel mutatum calorem naturalem aliisque actionum læsiones, aut omnia hæcæ phænomena simul conjuncta habet.*

Sicque non confisi solâ frequentia pulsus, caloris mutationem & alias actionum læsiones in praxi simul considerandas esse ducimus, ut uno signo deficiente ex aliis presentibus phænomenis ipsam præsentiam febris satis interdum obscuram certius eruamus.

THESIS XIII.

Febri, quò pauciora symptomata secum habet, eò simplicior est, quò mitiora, eò levior, & vice versâ; nisi maligna sit.

Simplicissima febris foret, in qua tantum pulsus esset velocior, in corpore cæteroquin sano, cum subsequo calore, qui a frequentia pulsus vix separabilis & effectus est fortioris attritus sanguinis ad vasa sub concitatore circulatione. Talis ferè solet esse levissima febris ephemera (a).

Magis quidem complicata foret eadem febris, si præter pulsus & calorem mutatum haberet adjunctum dolorem capitis, sitim & lassitudinem: esset tamen adhuc satis simplex & levis.

Si verò pulsus simul tensus aut durus, si alicubi in corpore dolor vehemens, sitis magna, inquietudo, aut difficilis

(a) Vid. Thesin IX. & XXVIII. Num. 1.

cilis respiratio sine somno adesset, febris ex complicatiohe horum symptomatum foret minus simplex & periculosior ob justam inflammationis alicubi in corpore gliscentis suspicionem.

Accedant porrò hisce symptomatibus in corpore antecedenter impuro nausea, amaror oris, morsus aut pressio circa orificium superius stomachi &c.; multò jam complicatior & difficilior erit morbus ob conjunctam colluviem biliosam in ventriculo, quæ nisi tempestivè ejiciatur, vel corrigatur, facilè deinde succedent deliria, diarrhæa, exanthemata, aliæque pessima mala febrim complicatissimam & gravissimam effectura.

THESIS XIV.

Febri uti morbus longè frequentissimus, ità sæpe latentissima cognitúque difficillima est.

SYDENHAM judicavit, febres cum suis appendicibus duas ferè tertias partes omnium, qui sunt, morborum constituere; & juxta CELSUM vix aliquis sine febre moritur, nisi violentâ morte raptus. Proinde nullus fere morbus est, quin habeat febrem vel prægressam, vel comitem, vel pedissequam.

Enimverò innumeræ cùm sint & maximè obviæ februm causæ, facillimus est in eas casus. Diætæ vitia aëris ambientis repentinæ & inevitabiles vicissitudines, exercitia, pathemata &c. sanissimos faciunt febrire (a).


Latentiam quod attinet (b), prægressa febris & accedente alio morbo minui visa ità interdum sub hoc morbo latet,

(a) Vid. v. SWIETEN Comment. in BOERHAV. Aph. 558.

(b) Vide suprâ dictâ ad Thesin XI. & XII.

latet, ut vix suspicio sit febris, verè tamen præsentis & curandæ suâ antidoto: aliàs enim morbus eam occultans non depellitur. Sic sæpe latet sub hydrope, syncope, anxietate, delirio, convulsione hysterica, stupore quasi apoplectico (a).

Cum alios morbos frequentissimè simulet, inde creantur nunc hæc nunc illa gravissima symptomata, vomitiones, diarrhææ torminosæ, cholera morbus, colica, dolores rheumatici, arthritici, pleuritici, hemicranici &c. (b) Quæ symptomata si quam periodum præ se ferant, certè latentis & in aliquam corporis partem conversæ febris effectus sunt: unde tam amplus Peruvianæ corticis in ejusmodi affectibus usus est.



CAUSÆ FEBRIS.

THESIS XV.

CAUSA proxima febris est id, quod phænomena in definitione data fulcitat (c).

Quid autem illud sit, difficillimum est determinatu, generaliter loquendo de febribus, tum propter diversas authorum circa hanc rem opiniones, tum propter contraria symptomata in eadem febre apparentia, uti calorem & frigus &c. denique propter diversissimas causas remotas febrium.

GORTER

(a) Vid. GORT. Prax. §. III. 191. 211.

(b) MORTON de Febr. intermitt.

(c) GORT. Comp. Med. Tract. §2. Num. IV.

GORTER (*a*) putat, quemadmodum in aliis morbis vel notissimis, atque aded in ipso alcali & acido, quæ duo habita fuerunt ab aliquibus pro manifestissimis febrium causis, nihil de horum causa proxima constat, quàm quòd aliqua phænomena appareant, quæ nobis eorum præsentiam indicant; ità debere nos contentos esse in cognitione causæ proximæ febrium, si modò proferantur talia symptomata, quæ semper præsentiam febris indicant, quoniam in cognitione aliarum rerum similibus acquiescimus, nec ultra nos sinimus urgeri. Saltem medici sic dicti empirici tali cognitione contenti erant (*b*).

Cùm verò BOERHAV. (*c*) a vero & rationali medico exigat, ut ex cognitis causis remotis & effectibus morbi assurgat in intellectum causæ proximæ; eo duce & convenienter iis, quæ supra ad definitionem febris ratione essentialis symptomatis datæque regulæ generalis & exceptionum dicta fuerunt,

THESIS XVI.

Igitur velocior cordis contractio, cùm sit causa proxima frequentioris pulsûs, causa proxima febris est (*d*).

In regula generali pulsus velox est pathognomicum, essentialia atque individuum febris signum, eoque præfente febris adest, absente abest; adeoque essentia febris eodem continetur. Proinde causa proximæ velocioris pulsûs etiam est causa proxima febris. Ergò cùm velocior contractio

(*a*) Comp. Med. Tract. §2. Num. 4.

(*b*) Vid. Thesin IV.

(*c*) Aph. 13.

(*d*) BOERHAV. Aph. §72. §73.

tractio cordis sit immediata & proxima causa velocioris pulsus, erit quoque proxima causa febris in ea simplicitate, quâ cum BOERHAVIO febris quoad regulam generalem & ad evitandam confusionem consideratur.

Potest autem velocior cordis contractio, majoris claritatis gratiâ, dici causa proxima febris immediata, quoniam causa proxima velocioris hujus contractionis etiam a multis solet appellari causa proxima febris sed mediata dicenda.


THESIS XVII.

CAUSA verò frequentiore cordis contractionem efficiens, sive causa febris proxima mediata satis certò & indubitato determinari vix potest.

EX variis hypothesebus variæ exortæ sunt opiniones circa hanc rem.

BOERHAVIUS quemadmodum in reciproco influxu liquidi nervosi & cerebellosi in musculos & sanguinis in cava cordis causam systoles & diastoles ponit, ita pariter a velociore hoc reciproco influxu frequentiore cordis contractionem oriri statuit (a). Verum cor etsi musculus sit, non tamen easdem leges tantum sequitur, quas musculus; sed inest illi peculiaris vis motrix non dependens ab influxu spirituum, cum pergat moveri etiam resectum a nervis. Porro sub frigore febrili & in malignarum soporosarum initiis accumulatur sanguis copiosissime in vena cava propter difficillimum ejus transitum per pulmones. Neque tamen propterea contractio cordis semper velocior est, sed sæpe tarda & inæqualis teste pulsu. Denique hæc doctrina multis videretur principii petitione laborare, cum influxus
liquidi

(a) Aph. 574.



liquidi nervei & sanguinis, qui causâ contractionis cordis esse dicitur, vicissim illius effectus fieri debeat, neque determinari possit, utrùm influxus liquidi nervei prior sit ad motum cordis, an verò ipse motus cordis, sine quo influxus ille cessat, eum priùs causare debeat.

GORTER alio loco causam proximam febris vocat *omne alienum, quod ad organon vitale applicatum istud ità instigat, ut suo conamine tentet se liberare* (a). HELMONTIUS spinam alicubi infixam vocavit, ad cuius sensum Archæus sive vis vitæ omni conatu evulsionem molitur.

Sagacissimo quidem ratiocinio demonstrat idem GORT. (b) peregrinum id, seu materiam febrilem hæere in muco arteriarum interna latera illiniente, longèque alterius naturæ esse, quàm stimulum quemvis mechanicum, qui protinus majorem motum & calorem provocaret, cùm alienum hoc febrile primò, toxicum instar, compescat arteriarum & cordis motum & demum naturam ad inimicum omni conatu subigendum instiget: sed quamvis in hoc alieno causam febris materialem agnoscamus, formalem tamen sive efficientem proximam non reperimus.

DE SAUVAGES (c) arbitratur, sicut cuilibet corpori ætatique sua quantitas virium motricium per singulas corporis partes justâ proportionem distributorum respondet, istâ proportionem per quaslibet causas antecedentes & remotas turbatâ, partem quandam virium voluntariis functionibus destinatarum transfundi in cor & vasorum systema ad febrim producendam, eâ potissimum inductus observatione, quòd febrientibus motus muscularis ità elanguescat, ut decumbere cogantur, dum interim vires cordis & vasorum solito

(a) Prax. §. 191. Num. IV.

(b) Comp. Med. Tract. §2.

(c) Pathol. Method. Pag. 218.

solito auctiores pulsus frequentior & major ostenderet. Ut ut pulchra est & ingeniosa hæc conjectura; inde tamen sequeretur, quò magis debilitaretur motus muscularis, eò majus augmentum virium cordi accedere debere & vice versâ. Contrarium autem videmus tum in febribus malignis, in quibus & motus muscularis & pulsus simul valde languidus est, tum in ordinariis inflammatoriis, in quibus & pulsus fortis & vires musculares valde adauctæ sunt, exemplo veræ phrenitidis.

FRID. HOFFMANNUS (*a*) causam proximam febris in spasmodica universi systematis nervosi & vasculosi affectione collocat. Sed hæc affectio spasmodica potiùs palpitationem aut tremorem cordis produceret, quàm veram febrem, in qua, nisi valde maligna sit, aut mors jam instet, cordis & arteriarum motus certo ordine & memoratâ superiùs lege accelerationis & remissionis absolvuntur.

Veteres & multi recentiores proximam febris causam accusarunt calorem præternaturalem in corde accensum, & mediantibus spiritibus (in febribus puris non putridis) vel mediante sanguine (in impuris e. g. in synocho putri) in alias partes derivatum, quia febris vehemens ab HIPPOCRATE ignis vocatur teste GALENO. Sed calor potiùs effectus est febris, quàm causa, ab attritu sanguinis per velociorem cordis & arteriarum motum nato productus, febre jam positâ, observatùsque manere aliquamdiu post mortem absente jam omni febre. Ergò non est causa proxima febris, quâ positâ ponitur febris, sublatâ tollitur. In intermittentibus jam diu ante calorem febris adest (*b*).

THESIS

- (*a*) Med. Rat. Syst. Tom. 4. Part. 1. in Prolegom.
 (*b*) Vid. v. SWIETEN Comment. in Aph. BOERH. 571.

THESIS XVIII.

Hinc summos secuti medicps speculationes nostras in eo figimus, quòd dicamus, causam proximam, motum cordis accelerantem adeoque febres producentem esse naturam ipsam per intensiores actiones vitales morbosum corrigere & eliminare conantem. *Igitur affectio vitæ conantis mortem avertere tam in frigore, quàm in calore (a).*

Cùm ex superioribus non satis evidens & indubitatum sit, quænam causæ contractionem cordis velociorem proximè efficiant, non pudet, ad evitandas inutilis speculationes, præeuntibus GALENO, RIVERO, BAGLIVIO, SYDENHAM, ETTMÛLLERO aliisque, naturæ hunc effectum tribuere, etsi fatente SYDENHAMIO non satis intueri possimus modum & media, quibus hoc opus exequatur.

Sed quid intelligitur naturæ nomine, cujus tam frequens & diversâ est apud authores acceptio?

HELMONTIUS eam definit, esse *jussum Dei, quo res est id, quod est, & agit, quod agere jussa est (b).*

Physicè accepta est *complexus omnium illarum conditionum, proprietatum, virium & instrumentorum, quæ requiruntur ad actiones homini proprias exercendas.*

Medicè verò spectata est *principium illorum motuum, qui ad sanitatis tutelam & ægritudinis medelam in nobis fiunt, sive consentiat, sive recuset voluntas (c).*

GALENUS EX HIPPOCRATE (d) naturam medicatricem, ait, esse *vim in animalibus habitantem, & earum operationum*
retri-

(a) BOERHAV. Aph. 573.

(b) Vid. D. NOORTWYCK Dissert. de Natura humana.

(c) Vid. DE SAVAGES Pathol. Meth. Pag. 36.

(d) In EPIDEM. Libr. 5.

reſtricem providam, quæ in hominibus ipſis eos motus exequitur, quos voluntas vix poſſet, quæque muſculos etiam nobis ignotos & modis ignotis non ſecus ac voluntas in ſuos fines adhibet: quæ vias ſibi novas invenit, & cudit ad materiæ morbificæ eliminatio- nem: quæ verbo ſine doctore omnia, quæ opus ſunt, perficit.

Hoc principium, hæc vis in animalibus habitans eſt ipſa vis vitæ, cognita per admirandos illos conatus, quibus utile ſibi appetit, noxium avertere ſatagit. Vita autem, in- quit HELMONTIUS, eſt intimum, principale, formale atque eſ- ſentiale febrivum efficiens.

Utrum verò per hoc principium anima rationalis vel ipſa ſtructura viventis corporis, proprio ſibi & impreſſo niſu, motu & directione prædita intelligenda ſit, non at- tinet, nec utile eſt, hic diſquirere. Sufficit nôſſe, aliam vim eſſe corporis, aliam mentis ſeorſim ſpectatæ, aliam hominis ex utroque compositi (a).

THESIS XIX.

CAuſæ remotæ febris ſunt duplices, prægumena ſive prædiſponentes, & procatartica ſive excitantes.

Diu poteſt in nobis deliteſcere fomes morboſus ſive diſpoſitio ad morbum, quin notabiliter inde lædantur actio- nes, homóque apertè ſentiat ſe ægrotare; quamvis hæc diſpoſitio reverà ſit incipiens morbus, a ſagaci medico ex ſuis ſignis facilè detegendus. Ægrotans autem ex tali diſpoſi- tione morboſa, ſanitatſ ſuæ ſecurus opem artis medicæ ſibi neceſſariam non opinatur, donec, admiſſo quodam er- rore ſive exceſſu in rebus ſic dictis non naturalibus, morbus apertior excitetur.

THESIS

(a) Vid. Illuſtr. W. FALHOFFII Obſ. de Febr. Sect. 6. §. IX. Pag. 311.

THESIS XX.

CAusæ præogumenæ sunt illæ fluidorum solidorumque nostri corporis vel utrorumque vitiosæ mutationes sensim enata, quæ accedente causâ aliquâ excitante febrim accendere possint.

Potissimæ sunt obstructions & infarctus vasorum viscerumque, abundantia bonorum humorum sive plethora, vel malorum sive cacochymia, eorum densitas & spissitudo calida æquè ac frigida, variæ acrimoniæ, acida, biliosa, scorbutica, salina &c. (quæ apud BOERHAV., HUXHAM. & GORTER. lectu dignæ sunt) varia itidem solidorum intemperies, debilis, laxa, rigida sive nimis elastica &c. ab iisdem author. descripta.

Sic homo plethoricus eam habet dispositionem, ut vasorum systema nimio sanguine bono repletum sit: cæterum tam sanus est, ut quilibet illi de optima valetudine gratuletur. Huic prædispositioni accedat causâ quædam procatartica ab hausto intemperanter potu calefaciente vel motu nimio; incidet in morbos reliquæ dispositioni solidorum conformes: si vasa robusta & elastica sanguisque densior simul fuerit, vehementissima febris orietur, ita ut periculossimæ inflammationes meningum, pulmonum aliorumque viscerum inde sequi possint, quod in alio non plethorico sicque non prædisposito non eveniet. Si verò solida fuerint debilia & tenera, sanguisque tenuior, uti in pulchellis esse solent, ex simili causâ excitante faciles vasorum rupturæ & humorum effusiones contingent.

Sic cujus hepar obstructum, bilêmque corruptam sanguini mixtam decolor facies testatur, grassantibus febribus malignis citius affligitur, quàm ille, cujus viscera nullo vitio contaminata sunt.

Sic

Sic quorum humores densi, viscidi & tenaces frigido modo sunt, & obstructionibus minimorum vasculorum glandularumque opportuni, citius ex autumnali aut vernali frigore in febres intermittentes incidunt, quam illi, quorum fluida meabilia liberè per vasa & viscera circulant.

Non malè THEOPHIL. LOBB (a) causas febrium prædisponentes maximè generales esse dicit spissitudinem humorum eorumque acrimoniam sive dissolutionem: ex spissitudine nasci febres intermittentes, si ea fuerit frigida, vel solida laxiora: ardentem verò & inflammatorias, si densitas fuerit calida solidaque simul elastica: ex dissolutione & acrimonia febres putridas & lentas, maximam partem malignas. Sed hæ ipsæ vitiosæ prædispositiones in solidis & fluidis primam suam originem è causis procatarctiis semper habent.

THESIS XXI.

CAusæ procatarcticæ febris sunt totidem, quot committi possunt errores in usu sex rerum ad vitam & sanitatem necessariarum.

Medici Arabes vocârunt hæc res non naturales, eò quòd, etsi compositionem corporis non ingrederentur, iis tamen sanitas & vita carere non possent, sed nomine non adèd congruo, uti facilè patebit examinanti naturæ definitiones supra positas (b).

Sunt 1. cibus & potus. 2. somnus & vigilia. 3. aër. 4. excreta & retenta. 5. motus & quies. 6. pathemata sive affectus animi. GALENUS eas ad 4. classes redegit nomine *ingestorum*, uti cibus, potus, condimenta, medicamenta, venena. *Retentorum*, uti fœces, urina, sanguis per menses vel

(a) Tract. Practico de Cura febr.

(b) Vid. DE SAUVAGES Pathol. Method. in Proëm.

vel hæmorrhoides excerni solitus, mucus narium, sputa, pus ulcerum, materia perspirabilis. *Gestorum*, pathemata, morus, quies. *Applicatorum*, omnia externè corpori applicanda, vestes arctæ, laxæ, tenues, densæ, calor, frigus, aër humidus, ficcus, calidus, frigidus, acria & lædientia quævis, miasma contagiosum per aërem ad nos allatum (a). Errores in hisce rebus quovis modo commissi possunt fieri causæ externæ & excitantes februm pro varia jam latente dispositione in eo corpore, cui illæ applicantur.

THESIS XXII.


CAusæ remotæ tam excitantes quàm prædisponentes cor rariùs immediatè & primariò, sed frequentissimè eminùs & consensualiter tantùm afficiunt.

Causas excitantes externas immediatè in cor agere, ejùsque contractionem concitatioem efficere posse, nemo faciliè dixerit; etsi pathemata non pauca, uti ira, terror, concupiscentia ab objectis externis excitata protinus illius morum adaugeant: prius enim est, objectum menti proponi ut bonum vel malum, & ex hac idea excitari vel desiderium vel averfationem rei propositæ; posterius verò, ad hanc mutationem animæ sequi mutationem cordis in suis contractionibus; cùm per ideas oppositas in mente ex alia contraria ratione vel pœnæ, vel præmii, vel assuetudinis natas hæc cordis mutatio præverti possit: quod sanè non fieret, si ipsum cor immediatè & mechanicè dictis pathematibus afficeretur.

Causæ iidem internæ & prædisponentes rariùs hærent circa cor, quàm circa alia viscera hepatis, lienis, pancreatis,

(a) Vid. Illustr. L. B. v. SWIETEN in BOERH. Aph. 586.

creatis, mesenterii, ventriculi, pulmonum, cerebri &c. è quorum sede cordis actio tantum eminens & consensualiter afficitur. Negari quidem non possunt exempla inflammationum cordis, aortæ, auricularum & paricardii, item calculorum, ossificationum & polyporum in hisce partibus: sed hæc rara sunt, & partim diu interdum sine febre afficiunt, partim forsitan palpitationem aut tremorem cordis potius, quam febrem veram producerent.



EFFECTUS FEBRILES.


THESIS XXIII.

Febri effectus sunt celerior liquorum expulsio, propulsio, stagnantium agitatio, omnium permixtio, resistens subactio, coctio, secretio cocti, crisis ejus, quod stimulo & coagulo febrim produxerat; sanorum mutatio in morbosam indolem; sanorum mutatio in indolem aptam ferre ea, quibus minus assuetus erat æger; liquidissimi expressio; reliqui incrassatio; sitis, calor, dolor, anxietatis, debilitatis, lassitudinis, gravitatis, anorexiæ productio (a).

Iuste loquendo, omnia symptomata febrim comitantia ejusdem effectus dici debent: sive ea ab ipso auctiori humorum motu per- & in vasa, sive a materiæ febrilis copia, corruptela aut decubitu in aliquam partem oriantur: seclusis tantum illis, quæ non ab ipsa febre, sed a causis exter-

nis,

(a) BOERHAV. Aph. §87.



nis, puta frigore, calore, pathemate, alimento, medicamento febrienti accedunt, epigenomena dicta.

Potissimum verò eæ mutationes hoc loco memorabiles sunt, quæ per febrem in solidis & fluidis efficiuntur bono vel malo sanitatis & vitæ eventum.

Optimus effectus est, materialem febris causam, sive retentum perspirabile, sive humor viscidus & tenax in vasis impeditius fluens aut alicubi viscerum stagnans, sive acre aut aliud alienum fuerit, motu febrili moderato neque nimis impetuoso sensim subigi, solvi, mobilem reddi; & vel insensibilis perspirati specie, uti in febribus levissimis fieri solet, per cutem diffari; vel sensibili quâdam evacuatione per sudorem, vomitum, diarrhæam, urinam, salivam nomine criseos inter remissiora symptomata eliminari (a).

Minus tutum est, vasa nimio circulationis impetu ita distrahi & debilitari, ut metus fiat œdematis aut hydropis fecuturi: vel dissipatis sudore calorêve liquidioribus inspissari reliqua & inflammationes in- vel externas excitari: vel febris vim languidiorem esse, quàm ut fuscitato motu densata & coagulata quasi liquida resolvere possit, perstantibus & invalescentibus ea de causa obstructionibus, ægròque manente valetudinario. Vel denique materiam criticam ad vasa quædam obstructa, dilatata, aut etiam rupta deponi, unde alii morbi succedunt, ut maculæ, pustulæ, phlegmonæ, erisypelata, tumores, abscessus, hæctica, phthisis, scirrhi, gangrænæ, sphaçeli (b).

Pessimum est, humores valde acres, uti de malignis dicitur, nimio febris impetu ad tenerrima cerebri aliorumque viscerum vitalium macerata jam vascula impelli, horum erosiones, rupturas, suppurationes & citissimè adrepentes

(a) BOERHAV. Aph. 594.

(b) BOERHAV. Aph. 593.

pentes gangrænas causaturos : aut sanguinem nimis densum & immeabilem in eadem vasa vitalia cerebri, pulmonum &c. impingi, subsecuturis itidem vehementissimis inflammationibus, suppurationibus aut gangrænis, plerumque inevitabilis interitûs causis (a).



DIVISIO FEBRIUM.

THESIS XXIV.

OMnes febres communiter & primariò dividuntur in duas classes continuarum & intermittentium.

Quidquid februm est, ad hæc duas classes reduci potest, ut cæterum ratione aliorum symptomatum diversissimas facies exhibeant. Centena quidem nomina februm reperias: sed hæc quemadmodum a singulari quodam symptomate profecta sunt, ita particulares februm affectiones declarant, ipsas verò classes primarias non mutant, uti ex sequentibus patebit.

Fundamentum autem hujus divisionis in modo consistit, quo febres omnes solent decurrere: vel enim conceptam pulsûs velocitatem aliâque caloris & ægritudinis symptomata usque ad finem morbi continuant, vel diversis accessionibus statò tempore redeuntibus decursum suum absolvunt. Itaque

THE-

(a) BOERHAV. Aph. §92. Vid. v. SWIETEN Comment. in prædictos Aphor.

THESIS XXV.

Febri continua est, cujus omne tempus una accessio est a principio ad solutionem usque (a).

Sive quæ motum febrilem semel excitatum uno impetu ad finem perducit (b). Ità ut à primo invasionis tempore usque ad finem morbi semper eadem, nec ullâ notabili remissione aut intermissione interrupta sit, licèt remissionem generalem instar aliarum febrium initio & fine pro stadiis suis obrineat.

THESIS XXVI.

Febri intermittens illa dicitur, quæ plures paroxysmos certis intervallis, quibus febris abest, distinctos habet intercedente plenariâ apyrexia.

Cùm prima febris accessio, postquam aliquamdiu duravit, sensim ità defervescit, ut nihil postea de febre seu pulsu velociore amplius supersit, quamvis æger adhuc aliquam ægritudinem sentiat, febris vocatur *intermittens*, quamdiu nempe hunc decursum servat. Si verò aliquid pulsus febrilis inter singulos paroxysmos remaneat, sopitis licèt aliis symptomatibus, tantùm *remittens* est.

Paroxysmus est recrudescencia febris antea sopitæ in intermittentibus: in continuis verò est tempus morbi vehementius ob graviora & copiosiora symptomata (c). Dicitur etiam exacerbatio, accessio &c.

Apyrexia

(a) GALEN. de Febr. Lib. 2. Cap. 2.

(b) BOERH. 727. Aph.

(c) Vid. BARTH. CASTELLI Lexicon Med.

Apyrexia five intermissio est plenaria paroxyfmi aut febris totius cessatio saltem quò ad symptomata essentialia.

Sepositis tantisper intermittentibus continuarum ultiores divisiones prosequemur.

THESIS XXVII.

PORRò febres continuæ vulgò subdividuntur ab authoribus in continuas simpliciter tales, continentes dictas, & in continuas remittentes.

Hanc febrium continuarum divisionem afferemus intelligendorum veterum scriptorum causâ, quamvis eam, nostro sub cœlo saltem, obrinere non arbitremur, uti ex sequentibus patebit.

THESIS XXVIII.

FEBRES continuæ simpliciter tales, græcis pyreta *synechonta*, quarum definitio *Thef.* 25. data fuit, ex *Pathol. Method.* DE SAUVAGES numerantur sequentes.

I. *Ephemera*, si ultra 24. horas non excurrat, *simplex* dicta, levissima febris, vitæque periculo carens, vix aliis symptomatibus stipata, quàm calore miti, lassitudine, levi dolore capitis, & siti: suscitata a levissimis causis externis, in corpore puro, seu nullo humorum vitio laborante, a calore nimirum vel frigore externo, motu majore, potu calefaciente, ingluvie leviori, perspiratione prohibita &c. Si ad 4. dies producat, *prolongata seu plurium dierum Ephemera dicitur.*

Ephemeram hanc plurium dierum alii vocant *synocham inflativam*, eò quòd sub illa corporis habitus quasi

inflari videatur, & materies exanthematica benigna e. g. in morbillis & variolis ad cutis superficiem propellatur.

In hisce Ephemeris omnes humores boni sint, nec ulla prædispositio morbosa adsit necesse est, alioquin in synochum putridam abeunt: solus humorum motus concitator peccat.

2. *Synochus simplex* sive non putris ad integram septimanam decurrens, aliquantò gravioribus pluribusque symptomatibus affligens, secuta easdem causas, sed paulò intensiores, efficientes copiosorem & tenaciorem materiem morbosam in corpore, cæterùm ad eam subigendam vel expellendam debiliore.

In hac nullum quidem vitium humorum præcedit, sed infertur illis aliqua saltem mutatio per causas procatarcticas & per ipsam febrim parumper degenerant fluida.

3. *Synochus putris*, sive continua putrida ad duas trêse septimanas excurrans, iisdem quidem causis procatarcticis excitata, sed incidens in corpus notabili pridem humorum corruptelâ prædispositum, multò graviora symptomata, deliria, cephalalgias, nauseam, vomitum, siccitatem, æstum, pulsus inæqualem &c. vitæque periculum affrens, imprimis calore mordaci & manum applicatam quasi pungente dignoscenda.

Nihil suave, nihil moderatum neque ephemeris simile habet hæc febris, sed mordax potiùs quodammodo est, ut lædat, mordetque tactum veluti fumus oculos ac naves (a).

4. *Hæctica* vulgò lenta febris, quæ ultra quatuor hebdomadas ad septimam & diutiùs durat cum lentâ consumptione corporis.

THESIS

(a) GALEN. de Febr. diff. L. 1. Cap. 9.

THESIS XXIX.

UTilissimum est tyroni, sed non adeò expeditum, prænoscere, utrùm incipiens febris futura sit non putris, sive putrida?

Hoc criterium in eo latet, ut attendat *1^{mo}* ad prægressa: utrùm ægrotus laudabili, blandâ, non acri nec spirituosâ diætâ sine ingluvie usus fuerit? an vehementioribus animi pathematibus, imprimis irâ, mœrore, curis, lubricationibus nimiis &c. immunis vixerit? *2^{do}* ad præsentia: an nulla signa notabilis cacochymiaë, acrimoniaë, & obstructionis ex facie decolore aliisve phænomenis appareant? an aër sit purus non contagiosus? an symptomata mitia, pulsus æqualis & mollis, calor blandus, & roscidus cutè brevè humescente, urina naturali non multùm dissimilis &c. hæc si itâ sint, rectè conjicimus febrem futuram Ephemeram vel synochum non putrem: Si his contraria adfuerint, contraria timenda sunt.

THESIS XXX.

Porrò putredinis nomen cùm apud medicos valde generale & multifarium sit, plurésque putridi species adnotet, variaë quoque febrium putridarum species occurrunt.

Vera putredo locum non habet in corpore, nisi fortè in excrementis, quamdiu illud vivum est; sed tantùm initialis, dum nimirum humores a statu naturali multùm variéque degenerant & in putredinem vergunt, accedente motu & calore febrili magis magisque augendam (a).

Itaque

(a) Vid. v. SWIETEN Comment. in Aph. BOERH. 730. Pag. 419.

Itaque inter præcipuas numeramus

1. Febrem putridam biliosam, ortam ex bile varia corrupta in ventriculo, duodeno, hepate, liene, ipsoque tandem systemate sanguineo & seroso, post iracundiam frequentiore, assumpta oleosa, rancida, facillè putrescentia, retenta diu excrementa &c. cognoscendam ex causis prægressis, temperamento bilioso, vomitu bilioso, dejectionibus putridis &c.

2. Febrem putridam scorbuticam sive dissolutoriam, oriundam ex humorum & sanguinis potissimum dissolutione in salinum & oleosum volatile putridum valde acre (a). Hæc est eminenter putrida, maximèque opposita febri inflammatoriæ, caditque in corpora scorbutico calido contaminata ex longo usu ciborum & condimentorum alcaliscentium, acrium, salitorum, semiputridorum, aquæ aërisque marini impuri aut contagiosi: ex abusu spirituum salinumque volatilium, aloëticorum, saponaceorum calidorum, aliorumque dissolventium alcalinorum medicamentorum æquè ac venenorum. Dignoscitur specialiter ex vibicibus maculisque rubris, lividis, nigrescentibus in cute emergentibus; facili hæmorrhagiâ narium, gingivarum, vesicæ; sanguinis arte vel sponte effusi tenuitate & dissolutione (b); inter alia febrium putridarum gravissima symptomata. Ut plurimum maligna est, locis maritinis & stationibus castrensis militum familiaris, in nostra regione rarior, nisi afferatur per miasma contagiosum.

3. Febrem putridam lentam, nervosam dictam, causas prædisponentes habentem ex vappescentia, lentore & deficiente coctione humorum, in corpore debili, cibo potuque

(a) Vid. BOERH. de Alcalino spontaneo & JOAN. HUXHAM. de Febr. putrid.

(b) Vid. SIMON. PAULI Digressio de Febr.

rūque crudis, impuris, glutinosis, vappidis & insalubribus nutrito (utī pauperibus & in annonæ caritate obvium est) mærore, studiis & laboribus confecto vel nimis otioso, nimiis evacuationibus exhausto, ærem squallidum, crassum, humidum, vappidum spirante.

Nervosa dicitur ob juncta ordinariò symptomata hysterico-hypochondriaca ex ataxia & defectu spirituum oriunda.

Lenta dicitur, quia continua quidem, minùs tamen acuta est & tardiore motu sua absolvit tempora inter symptomata non adeò gravia ad conspectum.

Utplurimum maligna & Epidemica est præsertim inter pauperes & miserè viventes.

Notæ caracteristicæ sunt morositas, anxietas, lassitudo, pallor, languor, nausæa, oppressio pectoris, paucifitit, stupor, dolor occipitis, sensus frigoris in vertice, deliria levia, fugacia, urina pallida vel opaca, pulsus celer, debilis, inæqualis (a). Distinguitur ab aliis lentis malignitate, deliriis, contagio epidemico. Quàm diversa autem in diversis hisce putridarum febrium speciebus medendi methodus requiratur, nòrunt medici practici.

Neque hæ solæ & omnes sunt putridarum species: ex varia miscela & vario prædominio hujus illiusve putridi humoris, variisque solidorum conjunctis vitiis, ex GORTERI *praxi generali addiscendis*, variæ aliæ febres putridæ emergunt: ut verissimum sit, talem semper futuram esse febrem, qualis est intemperies prædisponens fluidorum & solidorum jam antè contracta in eo corpore, in quod illa ex quibusvis causis occasionalibus incidit.

THESIS

(a) Vid. HUXHAM. de Febr.

THESIS XXXI.

AD remittentes sive exacerbantes, pyreta epanadida HIPPOCRAT., ab eodem DE SAUVAGES referuntur

1. *Amphymetina* sive quotidiana continua, in qua singulis diebus exacerbatio, prægressâ remissione, contingit, itâ, ut singulæ exacerbationes & tempore & vehementia, in quantum per stadia febris fieri solet, sibi mutuò respondeant; etsi successivè, ut postea dicitur, & prævertant, & graviores usque ad vigorem fiant.

2. *Tritæus* sive tertiana continua, quæ alternis tantùm diebus exacerbatur.

Tritæus duplicata erit, quando singulis quidem diebus exacerbationes incident, alternis tamen diebus graviores fuerint; itâ, ut prima tertiar, tertia quintar, secunda quartar, quarta sextar &c. & tempore, quo ingruunt & vehementia gradu respondeant.

3. *Tritæophya* sive febris tertiana continua æstuosior cum calore urente & siti inextinguibili, CAUSUS dicta. GORTERO Tritæophyes sive tertianaria febris est, quæ alterno die exacerbatur, sed plerùmque inordinatè, sine plenaria apyrexia. GALENO est tertianaria adeò protracta, ut vel nulla vel exigua admodum intermissio fiat.

4. *Hemitritæus* sive semitertiana, quæ uno die semel altero bis exacerbatur sine perfecta apyrexia. CELSUS hoc nomine tertianariam GALENI intellexit.

Est febris complicata ex quotidiana continua & tertiana intermittente (a). De qua HIPPOCRAT. (b) ait: *in semiter-*

(a) Vid. v. SWIETEN Comment. Tom. 2. §. 738. & ETTMÜLLER de Febr. p. 306.

(b) Libr. Epid.

semiteriana & multi & magni morbi sunt: Id est, pessimæ & gravissimæ febres hoc schema semitertianæ induunt, omnè que ferè symptomaticæ & malignæ febres in illam incidunt, uti lypiria, affodes, lyngodes, phricodes &c.

5. *Tetartæophya* sive quartana continua, singulis tribus diebus exacerbata.

Hæc antiqua nomina, ait DE SAUVAGES ex BAGLIVIO, breviora esse & convenientiora neotericis ex Arabum & latino-barbarorum schola derivatis. Sed non reticendum, eadem intermittentibus æquè ac remittentibus febribus a scriptoribus græcis imposita fuisse (a). Non malè dixeris, febres remittentes compositas esse ex continuis & intermittentibus.

THESIS XXXII.

Febres continuæ nostri cæli potiùs sunt remittentes, quàm continentes, exceptâ simplici Ephemerâ (b).

Nulla ferè febris est, in qua non sensibiles symptomatum remissiones vel intermissiones conspicuæ sint (c).


Etsi verò hæ remissiones & exacerbationes non semper tam manifestæ sint in decursu continuarum, quàm initio earum, aut in paroxysmis intermittentium; nihilominus obvium & facile est diligenti observatori detegere, aliquo tempore remissiùs ægrotum habere, postea verò exacerbari symptomata.

Dum ARETÆUS venæsectiones in pleuritide remissionibus accommodari jussit, ipsas adeò febres inflammatorias sub

(a) Vid. CASTELLI Lexicon.

(b) Vid. KLEINII Interpret. clin. p. 110.

(c) FRID. HOFFMAN. Med. Rat. System. Tom. 3. p. 18.



sub climate suo calidiore sibi remittentes esse visas innuit, multò magis id dicendum erit de continuis nostri cœli.

Saltem BRENDelius, doctiss. nuper Göttingensium Professor, cujus doctrinam de febribus dictando relietam magni facimus, & in hac dissertatione passim sequimur, affirmat, neque se in saxoniam vel inferiore vel superiore febres verè continentes observando potuisse deprehendere; neque ab aliis sub ipso æquatore adhibitâ studiosâ attentione eas observatas esse.

Una Ephemera, unico paroxysmo diurno nocturnòve finiri solita, strictè continens dici potest.

THESIS XXXIII.

IGitur omnis continua febris suas periodos habet, etsi non tam distinctas, quàm febris intermittens.

Periodus est decursus morbi, certâ exacerbatione & remissione, sive mitiori aliquo intervallo novòque impetu, distinctus. Febris intermittens has periodos suis paroxysmis distinctè exhibet.

THESIS XXXIV.

Periodi continuarum ab initio quidem incertæ & obscuræ apparent, sunt tamen perpetuæ non minùs, quàm in intermittentibus.

Primis præsertim diebus exacerbationes minùs exercitarum fallere possunt specie febris erraticæ, donec febris typum suum induerit, & periodorum ordinem aliquem exhibeat, quod tertio demum quòve die spectari potest, dum exacerbationes illas singulis diebus vel alternis tantùm sibi respondere pro vario febris genio comperietur. Sed
dili-

diligentem observatorem postulant, aliàs obscurà lenitate suà minùs attentum sæpissimè fugiunt.

THESIS XXXV.

HArum periodorum reditus cognoscitur exacerbatione sive augmento symptomatum.

Quo tempore celerior & major pulsus, calor & fitis auctior, aliàque symptomata molestiora vel acerbiora sentiuntur, nova periodus incipit: quo illa minuuntur & tolerabiliora fiunt, remittit. Interdum horripilatione nova periodus non obscurè indicatur, præsertim primis morbi diebus.

THESIS XXXVI.

Ordinariò quotidie solent accidere, & spatio 24. horarum absolvi, ità, ut exacerbatio in vespèram noctémque cadat, remissio in antemeridianum tempus.

Jam pridem advertit HIPPOCRATES, *noctes plùs quàm dies deliviorum signa præbere & pleuriticorum dolores noctu exacerbari.* Nunc verò in vulgus notum est, febrientes vespèri & de nocte pejus, manè verò & per diem meliùs habere: quamvis hæc perpetua non sint ex causis infrà memorandis.

Ordinariò nycthymeri spatio una tantùm periodus accidit & ab exacerbatione ad remissionem decurrit, quo casu febris vel Amphymymerina vel tritæus duplicata erit: si verò fuerit hemitritæus, nova alia periodus incidit, antequam prior deferbuerit; Sicque plures quàm una periodus eodem nycthymero eveniunt. Quod uti in febribus ordina-

riis rarius est, ità in malignis, ex hac periodorum duplicatione semitertianis dictis, fieri docent observationes practicae.

THESIS XXXVII.

PERIODUS febrilis est vel typica vel erratica.

Typus est ordo accessionum periodicarum, redeuntium certo tempore. Quæ periodus igitur ordinem quendam quò ad incidentes exacerbationes servat, dicitur typica: quæ nullum habet, seu cujus exacerbatio tam vagè & irregulariter accidit, ut ab exercitato & attentissimo medico prævideri non possit, erratica sive vaga audit.

Febres ordinariæ & benignæ periodos habent typicas; periodi erraticæ ut plurimum cadunt in malignas.

THESIS XXXVIII.

TYPUS febrilis triplex est: status sive fixus, prævertens & tardans.

Quando initium exacerbationis periodicæ in idem tempus constanter incidit, periodus fixa sive stata dicitur: quando citius citiusque semper ingruit, vocatur prævertens, sive anticipans: denique dum serius seriusque advenit, tardans sive postponens appellatur.

THESIS XXXIX.

FEBRES acutæ non malignæ ordinariè in suis periodis a prima invasione ad vigorem usque typum prævertentem exhibere solent, tardantem verò deinde a vigore per declinationem usque ad finem.

Postea

Posteã dicitur, acutas febres esse, quæ citò & cum periculo decurrunt: innuunt ergò vires vitæ valde actuosas ad subigendum vel expellendum noxium, unde gravia symptomata nasci necesse est. Inde fit, ut exacerbationes harum febrium, utpote effectus actuosæ naturæ, quamdiu noxium nondum subactum copiosius adhuc inhæret corpori, id est ante vigorem febris, citius citiusque successivè ingruant, veluti testes moliminum, queis natura residuam a priori periodo materiam peccantem magis magisque mobilem & acrem redditam, quamprimum rursus accumulari & irritare incipit, iterum aggreditur: donec, cocto per repetitas periodos, vel expulso per crises vel perfectas aut imperfectas alieno, incipiat deesse copiosior stimulus jam debilius tardiusque irritans vires vitæ sensim quoque debilitatas & minùs nunc actuosas: unde pericodicæ exacerbationes seriùs redeunt, fiuntque tandem postponentes. Has præversiones & postpositiones periodorum vel ipsi adstantes distinguere nõrunt, cùm medico sæpissimè indicent, æstum hodie citius advenisse quàm heri &c.

Hæc, & quæ porrò de præversionibus dicentur, in febribus ordinariis tantùm locum habent, ubi nullus fomes malignus circa vitiata viscera latet: in malignis hîc ordo non obtinet, quippe in quibus vitæ vires debiliores & quasi oppressæ hæc præversiones efficere non possunt.

THESIS XL.

ET si varia sint harum præversionum spatia, habent tamen inter se ordinem quendam viribus vitæ & stimulo materiæ peccantis proportionatum.

Quò actuosior est motrix illa vis, quæ febrium periodos moderatur, & quò copiosior turgidiórque est materia peccans, eò majoribus spatiis prævertet una periodus alteram,

ram, & vice versa. Hæc autem spatia certis quidem horis determinari, nec nisi circiter notari possunt; cum nec dies nec anni paribus numeris absolvantur & operantis naturæ vis temporis civilis mensurâ circumscribi non possit. Hanc tamen servant inter se æqualitatem & ordinem, ut quò majori intervallo 2da periodus primam antevertit, eò majori 2da tertiæ anteponat, aucto ferè qualibet periodo præversionum spatium per progressionem quandam, donec sensim per has anticipationes periodus idem ferè tempus iterum attingat, in quod prima exacerbatio inciderat.

THESIS XLI.

QUò magis prævertunt periodi, eò diutiùs quoque durant, ità, ut vix notabile intervallum appareat inter remissionem prioris & subsequam exacerbationem posterioris periodi.

Quò citiùs redit exacerbatio, eò plus temporis præcedenti remissioni adimit, quæ propterea minor tandem minorque fiet, ità, ut vix ullâ amplius apparente remissione febris putetur esse continua simplex sive continens. Neque propterea quò priùs ingruit exacerbatio, eò citiùs quoque cessabit: nox enim alit & protrahit exacerbationem, matutinum tempus remissioni favet: quò nunc magis ad matutinum tempus exacerbatio per præversiones incidit, eò diuturnior erit periodus, vel ex eo etiam capite, quòd, sicuti præversio citiora naturæ conamina materiæque peccantis præcociorem stimulum indicat, ità quoque turgentior indies hæc materia, uti ex incrementibus symptomatibus patet, luctam hanc periodicam semper diuturniorem efficere debeat.

THESIS

THESIS XLII.

QUò majoribus spatiis periodi se mutuò prævertunt, eò citiùs febris ad vigorem pervenit, eò proinde acutior est, & vice versâ.

Quò magis prævertunt periodi, eò citiùs idem attingunt tempus, in quod prima febris exacerbatio inciderat. Hoc autem tempus per antepositiones affecuta febris non potest a vigore procul abesse, cum exacerbatio altera alteri facta propior, remissio verò brevior minùsque notabilior symptomatum maximam, quæ in ea febre esse potest, vehementiam producere debeat. In hoc autem symptomatum sensim auctorum summo gradu vigorem morbi consistere, palam est.

THESIS XLIII.

TYPUS status five fixus accessionum periodicarum continuis longis & chronicis, itémque aliquibus intermittentibus proprius est.

Sicuti typus prævertens tantùm in acutis ordinariis observatur, ità fixus ad chronicas tantùm pertinet, de quibus postea. Si itaque exacerbationes acutarum, antea prævertentes, circa vigorem vel post illum fixæ reddantur, metus est, ne acuta mutetur in chronicam lentam: & vice versâ si fixæ periodi chronicarum mobiles fiant, tum aut acuti quiddam illis complicatur, aut erraticæ, uti circa mortem, malignæve evadunt.

THESIS

THESIS XLIV.

ITaque ex typo periodorum attentè observato de febrium acutie, indole, statu & prædictione crifeos utilia non pauca intelliguntur.

Quæ febris periodos habet tribus quatuorve horis præponentes, citiùs ad vigorem perveniet, eritque æstuosior & acutior aliâ febre, cujus periodi tantùm unâ duabusve horis prævertunt.

In vigorem febris initium bonæ crifeos vel mortis incidere solet: igitur ex cognito per antepositiones vigore tempus bonæ crifeos vel mortis inter bona vel mala utriusque signa prædici potest.

Si exacerbationes irregulariter & sine ordine sive erraticè accidant, suspicio est, febrem vel malignam, vel præposterâ medicatione malòve regimine turbatam esse.

Si fixæ sint aut demum fiant, vid. Thesin XLIII.

THESIS XLV.

OMnes continuæ febres durationis intuitu sunt vel acutæ, vel chronicæ.

Acuta erit continua febris, si citò & cum periculo decurrit; sive quæ citò ad vigorem pervenit inter multa vehementia graviâque symptomata, quibus periculum vitæ continetur: vulgò dicuntur *hitzige Fieber*.

Chronica erit, quæ lentè sua stadia sive tempora particularia percurrit, sive periculum vitæ conjunctum sit, sive non: *Zebr-Fieber*.

Ergò quò brevior febris inter gravia symptomata, eò periculosior erit: non tamen vice versâ, quò periculosior, eò brevior

brevior erit. Malignæ sunt periculofiffimæ, neque tamen breviffimæ.

THESIS XLVI.

Acutæ subdividuntur in acutiffimas, peracutas, acutas simpliciter, & acutas ex decidentia.

Acutiffimæ dicuntur, quæ feptimanam plùs minùs durant; *peracutæ*, quæ duas hebdomâdes; *acutæ simpliciter*, quæ tres feptimanas; *acutæ ex decidentia*, quæ finem menfis attingunt.

Hæc funt acutarum generalia circiter tempora, quibus durare folent: interdum horâ vel die citiùs tardiùsve finiuntur, ut rectè dixerit HIPPOCRAT., nullam criſium deſcriptam horam eſſe.

Ex antè memoratis præverſionibus ab attento & exercitato medico prænoſci quodammo do poteſt, quot dierum vel feptimanarum febris futura fit.

THESIS XLVII.

Acutiffimæ febres uti & febres ex decidentia non tam frequentes funt noſtro cælo, quàm peracutæ & acutæ simpliciter.

Non raræ quidem funt obſervationes morientium ex febris 4to, 6to, 8vo die, ità, ut ejuſmodi febres acutiffimæ dici poſſent: ſed non rarò quoque error committitur, præcipuè in malignis, circa computandum initium febris, quod vulgò a decubitu ægroti in lectum, ſed perperam peti ſolet, dum æger jam diu antè febre laboravit, eaque proinde non acutiffima fuit.

Nec minùs raræ funt obſervationes febrientium per quatuor feptimanas & ultrà, quæ protractio febris appellationem

tionem dedit acutæ ex decidentia: verùm probè advertendum est, nisi ad multa HIPPOCRATIS loca cœcutire & impingere velimus, ne plures sibi post imperfectas crises succedentes febres pro unius decursu numeremus. Quam pluralitatem excipientium sese febrium toties meritò suspicamur, quoties circa tempus imperfectæ criseos algor quidam percipitur, initium novæ febris denotans. Ad hanc normam intelligendus est HIPPOCRATES, dum crises vel centesimo vicesimo die factas esse pluribus locis asserit. Exemplo variolarum, aliarumque febrium exanthematicarum constare potest, sub decursu unius morbi plures febres sibi mutuò succedere posse.

THESIS XLVIII.

Tempora particularia febrium continentur initio, incremento, statu sive vigore & declinatione.

Initium febris acutæ computatur a percepto primùm sensu frigoris sine externa causâ, non a decubitu ægroti (a).

Hoc frigus jam ad modum rigoris majori vehementiâ accidit, uti in febribus inflammatoriis & æstuosioribus, nunc ad modum horripilationis, uti in febribus mitioribus, & malignis, potissimùm exanthematicis.

Frigus quò vehementius est, eò gravior æstus subsequi solet, & vicissim quò minor est algor, eò lenior incallescencia succedit. Si secùs evenit, justa suspicio febris malignæ est.

Horrores initio febris accidentes, si inter calorem subsequum & per primos dies aliquando repetunt, tum malignitatis inter alia signa præsagium præbent, tum novam

(a) Vid. v. SWIETEN in Aph. 590.

vam exacerbationem fieri saltem significant: si circa vigorem accidant, *vid. Thefin XLVII.*

Incrementum est illud stadium febris, quo symptomata post initium sensim augentur, cognoscendum ex præverentibus exacerbationibus, dictoque symptomatum augmento. *Incrementa*, ait HIPPOCR. (a) *manifesta sunt ex morborum circuitibus, ex quibus etiam judicationes se manifestant: itémque ex his, quæ per circuitus fiunt, exacerbationibus, si celerius accedant, aut non; si diutius durent, aut non; si majores fiant, vel non.* Ubi exacerbatio in horas antemeridianas inciderit, rectè conjicimus, febrim in incremento propiorémque vigori esse; nisi hoc initium febris fuerit, aut intercalarem exacerbationem esse appareat ex nova periodo circa vesperam ingruente.


Vigor five *status* est illud decursûs febrilis tempus, quo symptomatum vis successivè magis magisque aucta quasi perstat, nec augetur ampliùs, nec minui incipit. Dignoscitur remissionibus periodorum brevissimis, exacerbationibus autem inter aucta symptomata longissimis & vehementissimis pro genio cujusque febris. *Cum exacerbationes statum acceperint & similiter per omnia consequenter* (id est sine vix notabili ampliùs intervallo) *contigerint, concomitantibus symptomatibus neque detractis neque additis, tunc in vigore morbus esse dicatur* (b).

Declinatio five *decrementum* dicitur illud febris stadium, quo vel factâ per crisin perfectam plenariâ morbi solutione æger paulatim vires resûmit, vel inter crises imperfectas successivè contingentes minuuntur sensim symptomata.

Quò

(a) Epid. Libr. 2.

(b) Ætius Libr. V. Cap. 17.



Quò febris acutior & ardentior est, eò minora sunt spatia horum temporum particularium, & vice versâ: hinc certo dierum numero mensurari non possunt.

THESIS XLIX.

Febres acutæ porrò dividuntur in ordinarias & malignas.

Anomalæ quidem apparentiùs opponuntur ordinariis, quàm malignæ, quæ benignis obverti solent. Verùm anomalæ ut plurimum quoque malignæ sunt & nomine ordinariorum hîc omnes benignæ intelliguntur.

Hæc divisio utilissima est ad praxin, cùm separatas & proprias harum febrium, diversissimarum quidem, difficulter tamen distinguendarum, præsertim inter initia, ideas suppeditet.

THESIS L.

Febres ordinariæ sunt, quæ inter consueta & non aliena symptomata proprio cuique modo decurrunt, ità, ut ea tam inter se se, quàm cum morbi tempore consentiant.

Quænam sint consueta, ordinaria & propria cuilibet feбри symptomata, ex ulteriori earum divisione patebit.

Qualibet febris ordinaria sicut habet sua varia tempora initii &c. sic quoque varia pro diversis istis temporibus habet symptomata, ordine quodam sese insequentia. Initio potissimum actiones vitales affici ex pulsu & calore mutatis percipimus: deinde simul actiones naturales successivè turbari ex nausea, appetitu dejecto, vomitu, urina &c. videmus: donec tandem hisce symptomatibus circa vigorem

rem læsiones actionum animalium adjungantur, uti debilitas, tremores, deliria, spasmi &c. Si hæc phænomena suis quæque temporibus appareant, rectè judicamus febrem, cæteris paribus ordinariam esse.


Sed hæc symptomata inter se quoque consentire debent: calori miti sitis parva, multa sitis æstui magno, levibus aliis alia levia respondent. Si verò, ut ex contrariis contraria magis eluceſcant, calor ad contactum mitis sit, lingua tamen sicca & aspera aut multa sitis: si calor magnus, sitis verò exigua & urina pallida: si æger ad conspectum leviter habeat, & tamen valde debilis sit aut deliret, hæc symptomata non conveniunt inter se.

THESIS LI.

Febres ordinariæ triplices esse observantur, scilicet ordinariæ simplices sive leviores, inflammatoriæ, exanthematicæ.

Ordinariæ sive *benignæ simplices* sunt, quæ inter symptomata, satis quidem interdum timenda præsertim circa vigorem, sed non aliena rarò ultra 14^{to} diem, sæpe minus, durant, absque notabili visceris cujusdam inflammatione & sine efflorescentiis cutaneis: atque idcirco nullo speciali nomine, uti aliæ inflammatoriæ & exanthematicæ insignitæ sunt. Huc pertinent febres Germanis dictæ biliosæ & catarrhales non malignæ.

Non magna corporis impuritas, causæ prægressæ manifestæ ex ira, ingluvie, transpiratione impedita, potu frigido &c. eæque non vehementes nec diu nimis applicatæ, absentia maligni contagii & labis cujusdam in visceribus hypochondriorum, atque symptomata initio mitiora & ordinaria febrem simplicem & leviolem fore præſagiunt:



præfens dignoscitur in suo decursu absentia signorum inflammationis, exanthematum & malignitatis.

Possunt tamen his febribus ex curatione præpostera malove regimine inflammationes vel exanthemata supervenire, si nimirum venæsectio, primarumque viarum evacuatio negligatur, aut regimen nimis calefaciens adhibeatur, de quibus in symptomaticis.

THESIS LII.

Inflammatoriæ dicuntur, quæ propter notabilem alicujus visceris inflammationem ardentiores sunt & suis gaudent nominibus ut *pleuritis, peripneumonia, phrenitis, gastritis, nephritis, hepatitis* &c.

Quando hæc febres inflammatoriæ sunt æstuosiores, dolorificæ & ordinariis sibi que propriis symptomatibus stipatæ, ordinariæ dicuntur: accidit autem non raro, viscerum sic dictorum parenchymaticorum, præsertim pulmonis, hepatis, lienis, renum inflammationes obscuras, non admodum dolentes, nec ad contactum, ut ait HIPPOCRATES, adurentes esse; tumque non vacant timore malignitatis, præsertim si aliena alia symptomata conjuncta sint.

Notatu proinde dignum est, alias inflammationes posse dici acutas, quarum signa manifesta & vehementia sunt, uti dolor acutus præsertim in partibus membranaceis, pleurâ, ventriculo, intestinis, meningibus &c.; pulsus plenus, tensus, durus; calor urens; siccitas magna; sitis inexplebilis; inquietudo præter alia evidentiâ signa læsarum actionum a parte inflammata pendentium, veluti respiratio difficilis & tussis in pleuritide; vomitus sincerus ingestorum in gastritide, hepatitide, retentio urinæ in inflammatione vesicæ; deliria ferocia in phrenitide &c. alias verò
lentas

lentas & gliscentes, quarum signa obscuriora minúsque vehementia non exercitato nec satis attento medico facilè imponunt, uti dolor minús acutus in inflammatione partium minús membranacearum, hepatis, lienis &c. pulsus non adedò plenus, durúsve, siccitas sitisq̄ue non adedò magna, calor urente minor aut tantùm mordax. Hasce inflammationes inter ejusmodi signa erysipelaceas vocant, ex humorum acrimonia & tenuitate potiùs, quàm inflammatoriâ sanguinis densitate oriundas.


THESIS LIII.

EXanthematicæ febres dicuntur, quibus per decursum exanthemata sive efflorescentiæ cutaneæ per modum sive criseos, sive symptomatis superveniunt.

Exanthematum nomine veniunt papulæ, pustulæ maculæve cutaneæ variæ, rubræ, albæ, purpureæ, lividæ, nigræ, latæ, parvæ, læves, asperæ, vel protuberantes ultra superficiem cutis, vel non, totidem veluti inflammationunculæ in varios illos colores sensim abeuntes, internis etiam partibus insidentes.

Horum exanthematum alia in suppurationem abeunt, uti variolosa, miliaria: alia sine suppuratione paulatim dissipantur cum desquamatione cutis, uti purpuracea, scarlatina, urticata, morbillosa, perechialia sive puncticulata rubra & boni moris: petechiæ enim purpureæ, lividæ vel nigræ huc non pertinent, utpote semper malignæ febris comites.

Alia porrò sunt essentialia sive non separabilia ab ea febre, quam afficiunt, uti variolæ, morbilli, scarlatina & urticata exanthemata: alia accidentalia, quæ variis febribus



bus præcipuè malignis post ineptam regiminis vel curationis methodum symptomatico modo possunt accidere, uti miliaria, petechialia, purpurea. In hisce febribus exanthematicis manifestius apparet id, quod supra dictum fuit de serie plurium febrium sese excipientium post imperfectas crises: postquam enim maculæ pustulæve eruperunt, prior febris paululùm quiescere, ægërque melius habere solet: deinde verò alia succedit usque ad desquamtionem vel factam suppurationem durans, quam sæpe alia porrò præcipuè lenta tabida aut etiam non rarò acuta excipit, exemplo variolarum & morbillorum.

Sicuti inflammatoriæ ardentiores ex rigore plerùmque initium habere solent, ità exanthematicæ tantùm cum horribus adoriuntur, qui ex dorso si inceperint & veluti diffundantur, periculo malignitatis non carent.

THESIS LIV.

Malignæ febres dicuntur illæ, quarum symptomata insolentiora sunt, quàm in ordinariis observantur, neque inter se mutuò, nec cum tempore morbi consentiunt (a).

Harum fundamentum diagnosticum ETTMÜLLERUS de febrì malignâ in eo ponit, quòd habeant symptomata majora seu graviora aut solentiora, quàm possunt ex causa, ordinario modo constituta, oriri, adeòque qualia aliàs in tali morbo adesse non solent.

Malignum juxta ETTMÜLLERUM nil aliud est, quàm nudum nomen designans causæ occasionalis sive materialis statum & conditionem, quia nempe hæc degenerat a sua natura & mutata fuit,

(a) CASTELLI Lexic. Med. verbo: benignus.

fuit, respectu corporis universi patientis in pejus. Maligna febris ita dicitur propter similitudinem ab hominibus malignis, qui sub specie recti decipiunt: nam tales morbi apparent boni, revera autem sunt mali, & ex insidiis quasi nocent.

Hinc bene definiuntur cum GORRHÆO (a) febres potestate graves, specie leves, & quæ certa criseos tempora non habeant. Fallacia enim sunt & levia ad conspectum earum initia, paulò tamen post affuturis gravissimis symptomatibus, quæ apud ETTMÜLL. graphicè descripta legi possunt.

Humor morbosus, vehementia, multa vel aliena symptomata inferens aut latenter magnum vitæ periculum producens, dicitur *malignus* a GORTERO (b). potissima sunt hæc:

1^{mo}. Virium singularis & subitanea ab initio prostratio sine causa manifesta, id est, quæ neque ex prægressis evacuationibus aut defatigationibus, aliisque erroribus in usu sex rerum non naturalium, neque ex diuturnitate morbi, utpote jam incipientis, oriri potuit; sicque causis prægressis & tempori morbi non respondet.

2^{do}. Horrores sæpe recurrentes & ex dorso incipientes, cum dorsi & lumborum dolore sine rheumatismi vel hæmorrhoidum vel mensium instantium aut calculi renum signis. Interdum quidem cum rigore febris incipit, sed non subsequitur æstus rigori proportionatus.

3^{to}. Insolita ægri tristitia, pusillanimitas, sui displicentia, morositas, anxietas, inquietudo, nausea.

4^{to}. Vagi dolores; partiales, fugitivi & leves sudores circa frontem, collum, præcordia, reliquo corpore sicco.

5^{to}. Facies decolor, livida, fusca, aut alio modo cachectica: oculi levibus icteri notis flavescences.

6^{to}. De-

(a) Definit. Med.

(b) Prax. Med. §. 129.

6^{ta}. Decubitus solito impudentior aut supinus: mentis habitus solito trucior, mœstior, hilarior, verbo alienior ab illo, qui fuit in sanitate.

7^{ma}. Lingua fordida, sicca, licet vel æger affatim bibat, vel calor mitis sit.

8^{va}. Febris ad conspectum levis ex calore, urina, pulsu parùm mutatis a naturali: respiratione interim existente difficili, suspiriosâ, anxiâ & gliscentibus levibus, fugitivis deliriis.

9^{na}. Periodi erraticæ aut hemitritææ vel tritææ &c. verbo omnia unquam observanda symptomata, si cum reliquis febris symptomatibus aut cum illius tempore non consentiant, malignitatis signa præbent.

Multos offendit maligni vocabulum, idque ex medicina proscribi cupiunt: sed quid per illud intelligamus, suprà dictum fuit.

Veterum potissimi febres malignas intelligebant nomine paraphrenitidum, sic dictarum propter deliria ad conspectum leviora, minùs furiosa, sed potiùs taciturna, quæque, ut HIPPOCRATES ait, melancholico modo fiant; ad distinctionem phrenitidum verarum, in quibus ea manifestiora magisque furiosa sunt, orta idiopathicè ex affecto encephalo, cum in paraphrenitide consensualia sint ex causis hærentibus circa viscera infimi ventris, sive circa hypochondria: unde non rarè febres malignas, præsertim circa initium, symptomata hypochondriaca comitantur & quasi regunt, ut sub iisdem aliquamdiu lateant.

Hæ febres certa criseos tempora non habent tum propter typum periodorum vagum jam præ-jam postponentem, tum propter crises rarè perfectiores per sudorem & urinam, sed frequentissimè imperfectas non exhaurientes morbum, sed factâ metastasi aliam rursus atque aliam febrem producentes.

Sedem

Sedem caufarum, ad febres malignas prædifponentium, potiffimùm effe in vifceribus hypochondriorum, præcipuè verò circa hepar, docet autopfia anatomica, quæ in cadaueribus, malignâ febre peremptorum, femper in hepate vifceribusque vicinis inflammationis prægreffæ putrilaginisque sæpe profundioris notas & bilem corruptiffimam, fubviridem, atram, lividam in veficula fellea pariter gangrenofa exhibet.

Obftructio & maceratio horum vifcerum, bilis varia corruptela, fanguinis fatifcentis aliorumque humorum eminentior acrimonia, malum fic dictum hystericum & hypochondriacum præcipuæ funt cauſæ prædifponentes ad febres malignas.

Hæc prædifpofitio non obſcurè elucet ex facie decolore, cachectica, ex albo flaveſcente aut atrabilaria, præfertim circa palpebras, oculis ſubiecteriitiis, in corporibus minùs repletis: in obefioribus autem ex facie carnoſa quidem, fed rubore inæquali neque naturali, fed quaſi punctato aut ſtriato, acrimoniæ & hepaticæ læſionis non dubio indice, notatâ: utrobique verò ex frequentiore eryſipelate externo, & ſymptomatibus hypochondriacis.

Nafci ſucceſſivè poteſt ex prægreſſis frequentibus & diuturnis erroribus in cibo & potu inſalubribus, in quiete nimia, vigiliis & lucubrationibus intenſioribus, in reliquo denique regimine vitæ, præfertim verò ex ira, mœrore, meru, aliifque animi pathematibus, quæ ampliffimo tædii ambitu continentur.

Nata verò facit, ut, quæcunque febris continua five exanthematica, five inflammatoria, five ſimplex in tale corpus incidit, facilè maligna fiat ex latente jam hoc fomite maligno, dum in alio corpore non ita prædifpofito illa ordinaria erit. Hinc pleuritis, dyſenteria, variolæ, hepatitis,

aliæque febres putridæ sporadicè, id est in aliquibus ægrotis, malignæ possunt esse, dum in aliis benignæ sunt.

Ipsa verò malignitatis ratio formalis sive essentia, de qua variæ legi possunt opiniones apud ETTMÛLL., videtur in ea sanguinis & bilis vitiata miscela consistere, ut facillimè putredinem concipiant, & plerumque sine manifestis nec satis evidentibus inflammationis prægressæ notis subitò in gangrænam sphacelùmque viscerum abeant (a). Hunc effectum docet cadaverum inspectio; ipsa verò symptomata febrium malignarum modum latenter adrepentis gangrænae declarant, eadem ferè ratione, sicut in inflammationibus partium externarum febrem antea satis magnam, quam primum gangræna adrepat, successivè parvam inter prostratas ægri vires fieri videmus.

THESIS LV.

Omnes malignæ febres in 4. classes dividi possunt: 1^{mo} in malignas solitarias sine contagio & sæpe sine exanthematibus. 2^{do} in malignas cum contagio vel exanthematibus, vel cum utrisque simul. 3^{tiò} in malignas pestilentes. 4^{to} in veram pestilentiam.

Ad *malignas solitarias* pertinent illæ, quæ sine prægresso contagio ex privatis & quasi domesticis corporum causis suprâ memoratis oriuntur, & plerumque aut sporadicè afficiunt, aut alias acutas vel negligentius vel impetuosiùs habitas consequuntur, quo casu secundariæ quoque dicuntur.

Interdum exanthemata quidem adsciscunt; sed sæpe quoque sine illis terminantur. Sicut enim non omnis exanthematica

(a) CASTELLI Lexic. Med. verbo: malignitas.

thematica febris maligna est; ità nec omnis maligna semper exanthematibus stipatur: ad ea tamen proclivis est.

Ad *malignas cum contagio vel exanthematibus vel cum utriusque spectant illæ, quæ dum ex communi causa hærente in aëre sive ex contagio oriuntur, epidemicè plerumque grassantur, interdum etiam sine exanthematibus.*

Hæ contagiosæ cum celeriori virium prostratione invadunt & graviiores universim sunt, quàm solitariae, quarum initia lentè fiunt cum diuturniori languore & virium prostratione inter morosa pathemata sui que displicentiam &c.

Ad *pestilentes* referuntur prædictæ malignæ cum contagio, quando magnam simul stragem efficiunt, plurimòsque necant pestis instar. Tales sunt febres catarrhales malignæ, petechizantes, miliares, variolæ malignæ, morbilli maligni, febres castrenses &c.

Pestilentia vera seu pestis est summus februm malignarum gradus cum *bubonibus*, id est, *glandularum in partibus externis inflammatorio dolore*, & *carbonibus seu anthracibus*, id est, *furunculis gangrænosus in locis potissimum musculosis.*

Et si igitur ex febre quadam maligna epidemicè grassante plurimi moriantur, ut proinde ea pestilens dici possit; non tamen erit idcirco vera pestis, nisi duas illas notas characteristicas bubonum & carbonum exhibeat. Has si habet quædam maligna febris, pestis est: etiamsi alia conjuncta exanthemata aliam malignam v. g. petechialem aut miliarem præ se ferant: quo casu ipsa pestis febrim malignam complicata est, uti non rarè fieri solet.

THESIS

THESIS LVI.

Chronicae febres (*a*) dicuntur illae continuæ, quæ ultra mensem unum plurisque, imò ad annos interdum variâ diuturnitate protrahuntur.

Quæcunque febris ultra mensem sine notabili declinatione durat, chronica vocatur. Etiam si enim febris diutius, quàm per mensem ægrotum affligat, si tamen vigor morbi ante finem mensis transeat, febrisque hoc tempore sensim declinare incipiat, potius ad acutas ex decidentia, quàm ad chronicas pertinet, ut deinde tempus declinationis in initium mensis sequentis incidat.

THESIS LVII.

Hæ commodè statui possunt triplices: hectica, phthifica, cachectica.

Videntur & alia febres continuæ, præsertim acutæ ex decidentia dictæ, ad chronicas referri posse, cum ultra mensem haud raris exemplis durare soleant: sed quid de hac earum protractione sentiendum sit, *Thef.* XLVII. dictum fuit.

THESIS LVIII.

Hectica febris est continua longa cum lenta consumptione corporis absque ulcere sive interno, sive externo.

Hectica græcè dicitur ab habitu, quòd corpori propter longiorem inhærentiam habitualis jam reddita sit. Quæ quidem

(*a*) *Thef.* XLII.

quidem etymologiâ cum aliis chronicis convenit, discrepat verò partim absentia ulcers, partim aliis notis caracteristicis postea afferendis.

Cognoscitur imprimis caloris post pastum exacerbatione in extremis partibus: causas antecedentes habet scirrhos & obstructions viscerum nondum exulceratas, colluviem verminosam, notabilem humorum acrimoniam lentè contractam, aut evacuationes nimias bonorum humorum per effusiones sanguinis, diarrhoeas, aut nimiam venerem.

THESIS LIX.

PHthifica sive tabida febris est continua longa cum contabescencia corporis ex ulcere vel in- vel externo, vel clauso vel aperto.

Convenit omninò cum hectica quò ad caloris exacerbationem post pastum & tabescenciam corporis, nisi quòd hæc in tabida febre paulò celerior sit. Differt autem caracteristicè per signa puris vel alicubi in corpore latitantis, uti in obstructionibus viscerum & scirrhis glandularum mesenterii, mammarum, uteri, meditullis suis lentas suppurationes concipientium & in carcinomata abeuntium: vel ex aliqua cavitate emissi formâ sputi vel fluoris albi, aut cum urina aut ex manifesto alio ulcere; cujus magna pars vasifesorpta hanc febrem diutissimè aliquando sustentat. Si ab ulcere pulmonum nata fuit, sigillatim *pulmonalis* audit.

Ex quibus patet, facilem interdum esse transitum hectice in phthificam, scirrhis & obstructionibus incipientibus exulcerari.

THESIS

THESIS LX.

CAchectica febris est continua chronica cum habitu corporis subtumido, lurido, icterode, aliisve modis decolorè, pedumque œdematibus.

Cachexia est malus corporis habitus quò ad colorem, mollitiem, aspredinem, aliasque qualitates sensibiles a statu sano alienas. Hæc quamvis hectica phthisticaque febri quoque communis sit, cachectica tamen illa strictè vocatur, quæ notas supra positas exhibet.

Huc pertinet imprimis chlorosis, seu pallida febris virginum; Febres itidem longæ mulierum, virorum, puerorum cum malo ejusmodi habitu: sive ex vitio mensium uterique albo fluore, sive ex nimia solidorum laxitate & fluidorum inertia undecunque demum contracta originem habuerint, postquam videlicet talis paulatim metamorphosis in viscidis hisce humoribus succrevit, ut febrem in ejusmodi corpore, quamvis frigido, efficere potuerint.

Quodsi præter intumescentiam, ut ferè solet, habitus corporis, præsertim faciei, luridus, aut icterodes fuerit, indicio esse poterit, hepar, lien aliudve viscus in hypochondriis chronico quodam vitio simul laborare: quo casu hypochondriaca hystericaque symptomata conjuncta esse solent: id quod pariter de febre hectica phthisticaque imò quibuscunque aliis febribus notatu dignum & utile in praxi est.

Non rarò quidem phthisticis hecticisque febribus, imprimis ubi confirmatæ fuerint, etiam œdemata pedum & inflatio faciei supervenire solent: neque tamen propterea confundendæ sunt cum cachectica, utpote cujus character ex causis habitumque prægressis ulcerumque absentia non obscurè elucescit.

THESIS

THESIS LXI.

PERIODI continuarum chronicarum sunt, uti in acutis, interdum quotidianæ, interdum tritæ & hemitritæ: typus verò periodorum ordinariò fixus sive status est.

Pro singulari varietate specificæ illius causæ, quæ febrim periodos moderatur, de qua postea, pro varia complicatione aliarum concausarum sive læsionum in variis visceribus, humorumque peccantium conjunctorum diversa degeneratione & indole variæ erunt hæ febriles periodi tam in acutis quàm chronicis: ita, ut vel quavis die unica exacerbatio præcipuè circa vesperam ingruat, vel alternis diebus tantum una, vel denique singulis aut alternis diebus quidem duæ, sed sibi dissimiles quò ad modum invadendi & decurrendi pro illa die, quâ ambæ incidunt, similes autem futuræ aliis exacerbationibus, quæ postea vel singulis vel alternis diebus rursus incident (a).


Typum autem periodorum in chronicis ordinariò fixum esse solere, non verò prævertentem aut tardantem, nisi illis alia acuta symptomatico modo interseratur, ad *Thef.* XL. dictum fuit.

THESIS LXII.

ALTERA summa classis febrium sunt intermittentes, *pyreta dialeira* HIPPOCR., quarum definitio vid. *Thef.* XXVL

Distin-

(a) Vid. dicta de Amphimerina, Tritæ &c. *Thef.* XXXI.



Distinguntur imò ex diurnitate intervalli, quod inter singulos earum paroxyfmos intercedit, in quotidianas, tertianas, quartanas &c.

THESIS LXIII.

Quotidiana intermittens est, quæ paroxyfmos singulis diebus redeunt, & inter hos tempus aliquod febre vacuum habet.

Multi expungunt quotidianas ex numero intermittendum, propterea, quòd putent, eas commodè ad tertianas duplices referri posse, cum facìle in continuas mutari soleant.

Attamen eas revera observari, præsertim in junioribus & nullo viscerum notabili vitio laborantibus, docent attentiores practici. A tertiana verò duplici certis notis postea memorandis distinguntur.

THESIS LXIV.

Tertiana intermittens est, cujus paroxyfmi alternis diebus, seu tertio quoque die repetunt, intercedente plenariâ apyrexia.

THESIS LXV.

Quartana intermittens est, quæ intra quatuor dies, factâ semper computatione ab initio prioris paroxyfmi, unam tantum accessionem habet, intermediâ apyrexia.

Non

Non defunt practici, qui cum HIPPOCRATE quintanas, septanas, nonanas imò annuas se observâsse fidem faciunt (a). Sed cùm hæ rariores sint, enumeratis immorari satis erit.

THESIS XLVI.

2dò **R** Atione periodorum distinguuntur in simplices, duplices, triplices &c.

Sic *quotidiana duplex* erit, quæ duos paroxysmos eâdem die recipit. *Tertiana duplex* singulis diebus paroxysmum habet : quo casu a quibusdam *quotidiana ex tertiana* dicitur. *Tertiana triplex* erit, si unâ die unum paroxysmum habet, alterâ duos. *Quartana duplex* aut primo aut secundo vacuo die iterum paroxysmum habet, unumque tantum diem vacuum. *Quartana triplex* singulis diebus paroxysmum excitat, nec vacuum ullum diem relinquit, ob quam multiplicationem paroxysmorum dici potest *quotidiana ex quartana*. Et sic porrò de reliquis.

THESIS LXVII.

HÆ paroxysmorum multiplicationes sæpissime febris veram indolem ità celant, ut non nisi attentissimâ illorum comparatione inter se dignosci possit.

Modus examinandi & comparandi multiplicatos ejusmodi paroxysmos in eo situs est, ut inquiramus, quinam eorum

(a) WERLHOFF. Obs. de Febr. p. 269.

eorum sibi & tempore accessionis sive typo & vehementia symptomatum sive decursu ipso consentiant. Sic compertimus primarios primariis, intercalares verò intercalariibus typo & decursu similes esse. E. g. in tertiana duplici paroxyfmi diei primæ, tertiæ, quintæ &c. utpote primarii sibi respondebunt: intercalares vicissim ut secundus, quartus, sextus &c. sibi similes erunt, quæis notis tertiana duplex a quotidiana facilè distinguetur. Rursus quartana triplex tantum diversitatis in suis paroxyfimis exhibebit, ut primæ diei periodus cum periodo quartæ diei, secundæ diei periodus cum illa quintæ diei respondeat, & sic de reliquis. Quando hæc relatio paroxyfmorum multiplicatorum ad se invicem abest, meritò erratici aut illegitimi quid subesse suspicamur. Sed attendenda simul sunt ea, quæ de febribus continuis *Thef.* XXXIV. hanc in rem dicta fuere.

THESIS LXVIII.

3^{tiò} **D**istinguantur ex ordine, quo paroxyfmi redeunt, in typicas & erraticas (a).

Quò propiùs intermittens ad indolem acutæ accedit, eò magis illius periodi prævertent, & vice versâ.

Observationibus D. LANGRISH (b) patet, sanguinem quotidianâ intermittente laborantium densiorem & tenaciorem esse, quàm tertianâ affectorum: horum sanguinem itidem spissiore esse, quàm quartanariorum. Proinde quotidiana & tertiana intermittens, cæteris paribus,

(a) *Thef.* XXXVII.

(b) *Theor. Mod.* Cap. V.

bus, propiùs accedunt ad indolem acutarum, quàm quartana, licèt diverso inter se gradu. Id ipsum confirmat experientia, quâ intermittentem quotidianam atque adeò tertianam ex curatione vel regimine calidiore, aut ex aëre humido frigidòque in siccum & æstuosiore mutato in continuas non rarò verti docemur. Igitur pro varia hac relatione variæ erunt paroxysmorum præversiones in intermittente quotidiana & tertiana, eo ferè modo, uti de acutis dictum fuit.

Quartanæ etsi ex eodem capite frequenter periodos tardantes & sæpe fixos, præsertim si rebelliores sint, habeant; observantur tamen interdum suos paroxysmos anteponeere his potissimùm de causis, quòd vel sanguis cæterique humores adhuc satis mobiles neque nimis inertes aut fixi sint, vel aëris mutatio in melius fiat, vel regimen aut remedia calefacientia adhibeantur: quæ causæ pariter quarumvis aliarum periodorum febrilium antepositiones promoverè observantur.


THESIS LXIX.

4^{to} **D**istinguuntur ratione moris in ordinarias & malignas (a).

Graviora sunt observatorum ipsiùsque experientiæ testimonia, quàm ut dubitari possit de *malignis intermittentibus*. Sed hæ malignæ cùm plerumque simul soporosæ sint, de quibus egregiè scripsit WERLHOFF (b), attendendum est, ne aliquo tempore tardior in illis pulsus, qui soporum
maximam

(a) Thef. XLIX.

(b) Observat. de Febrib.



maximam partem comitari solet, pro intermissione fallat; præsertim cum earum exacerbationes leviores quod ad alia symptomata esse soleant, ac potissimum ex invalescente sopore & stupore dignosci debeant. Solent præterea hæ malignæ intermittentes plerumque post aliquot periodos in continuas manifestas abire.

THESIS LXX.

5^{to} **D**enique ex anni tempore distinguuntur in autumnales & vernaes.

Scire est, hanc in genere esse vernalem, quæ a Februario in Augustum, & autumnalem, quæ ab Augusto in Februarium dominatur: distinctione necessariâ ob varios mores, symptomata, exitus, durationem, curationemque febris: quin una aliam fugat (a). Vernales sunt mitiores, breviores, curatûque faciliores autumnalibus, nisi vel contagium epidemicum, vel privata labes viscerum malignas faciat, aut veris tempestas nebulosior aut humidior, ægrotique pravum regimen solutionem prolonget. Autumnales curatu difficiliores sunt, & sæpe in hydropem, icterum, cachexiam, viscerum indurationes, aliôsque morbos abeunt.

THESIS LXXI.

Ratio & causa repetentium certo tempore periodorum in febribus intermittentibus æquè ac remittentibus multa torsit hucusque præstantissima ingenia; neque tamen sufficienter evolvi potuit.

Tam

(a) BOERHAV. Aph. 747.

Tam in
deffilimi n
decurtium
que eam
elle.

GORT
vita superat
certo tempo
Simil quag
percani &
estate ovo
turum iteru
quam in se
milia animi
redus natu
borum ve
sam proxi

Tha
hanc rem
distinctum
vis, vel
posse a n
faciat p
posse; m
medio in
propria
deri, a
altis ca
abolitis

(a) C
(b) C

Tam intricata est ætiologia febrilium periodorum, ut doctissimi medici non erubescant profiteri, se rationem redeuntium certo tempore accessionum capere non posse; neque eam humani ingenii viribus unquam exhauriendam esse.

GORTER (a) arbitratur febris materiam, cum viribus vitæ superata fuit, sed talis sit naturæ, ut simul semina relinquat certo tempore maturanda, febris intermittens ideam præbere. Simili quoque modo naturam operari in planta annua, bienni, perenni & similibus, quarum totâ hyeme quædam silent, sed æstate novo ex semine progerminant; priusquam moriuntur, maturum iterum semen ferunt: alia verò biennium insumunt, priusquam in se conficiunt semen, & dein extinguuntur. Hæc & similia animadverti in plantis, nosque contentos esse hæc videre in rebus naturalibus, quæ tamen nolimus admittere in morbis. Qui horum reddere valet causam, illi quoque difficile non fore, causam proximam periodorum in intermittens invenire.

Illustr. VAN SWIETEN postquam acutissimo examine in hanc rem inquisiverat, concludit, febrium intermittens distinctum & determinatum caracterem in spiritibus nervosis, nervis, vel communi horum origine latere, illumque irritari quidem posse a morbofis collectis humoribus, ut fortiores & diuturniores faciat paroxysmos, & sopitum jam a similibus causis excitari posse; non tamen indigere semper collecto quodam fomite intermedio inter binos paroxysmos tempore, ut in actum deducatur, sed propriâ suâ vi paroxysmos renovare posse: simulque probabile videri, diebus intercalaribus adesse similem dispositionem, quæ ab aliis causis in actum deduci possit; & deinde illis causis quamvis abolitis, pariter pergere (b).

Dignif-

(a) Comp. Med. Tract. 52. Num. XII.

(b) Comm. in BOERH. Aph. 757.

Dignissima lectu sunt, quæ celeberr. WERLHOFF. (a) ingeniosissimè meditatus est de proportione & consensu materiæ febrilis aërisque elastici, qui illius, uti omnium in corpore humorum, partem constituit, cum aëre atmosphærico, ut causa hærum periodorum.

THESIS LXXII.

Non defunt indicia, ex quibus præsciri possit, utrùm incipiens febris continua futura sit, an intermittens?

Hæc petuntur primò ex præsentè constitutione epidemicè grassantium febrium vel continuarum vel intermittentium.

Deinde ex particularibus symptomatibus incipientis febris: si enim prægresso frigore inter reliqua communia febrium symptomata gravitatis artuum, cardialgiæ, nausæ, cephalalgæ &c. sequatur æstus algori prægresso proportionatus, æstuique respondens sitis, hîsque tandem minui incipientibus succedat sudor cum levamine dictorum symptomatum, intermissionis secururæ satis firmum præsagium est; præsertim si finito paroxysmo urina rubri coloris sedimentum lateritium deponat.

Si verò æstus præcedenti frigori non respondet, aut novis horroribus identidem interrumpatur, neque sudor universalis intra primas 24. horas cum remissione symptomatum succedat, justa suspicio continuæ febris erit (b).

THESIS

(a) Observ. de Febr. Sect. 6.

(b) Vid. CLARON Introduct. de Febr. contin.

THESIS LXXIII.

Commutari in se invicem dicuntur febres, quando continua in aliam continuam aut in intermittentem mutatâ prorsus indole transit, & vice versâ.

Suprà dictum fuit ad *Thef.* XLVII. plures acutas sub specie unius decursûs febrilis post imperfectas crises sibi succedere posse.

Non rarò continuæ ordinariæ & leviores mutantur in exanthematicas, extortis calido regimine maculis purpureis &c.

Sæpe continuæ acutæ, præsertim inflammatoriæ, generato pure, mutantur in chronicas.

Frequentissima verò & maximæ considerationis commutatio est continuarum in intermittentes, & intermittentium in continuas.

THESIS LXXIV.

ET si diversæ possint esse causæ hujus commutationis, potissima tamen est ipsa mutatio aëris.

Non exiguum quidem momentum ad mutandas febres situm est tum in methodo curandi & regimine nimis aut calefaciente aut refrigerante: tum in ipsa temperie ægroti vel robusta & calida ad acutas prona, vel debili & frigida ad intermittentes & lentas disponente: tum in humorum varia metamorphosi per febrem successivè inducta, aut eorum in alia atque alia loca metastasi: denique in miasmate epidemico has præ aliis febres advehente, &, dum alteri constitutioni epidemicæ succedit, aut in febres sporadicis incidit, eas commutante in febres alterius speciei:

I

potissima

potissima tamen hujus commutationis causa frequentissime latet in ipsa mutatione aëris quò ad qualitates ejus manifestas & sensibiles.

Sic in comperto est, aërem humidum & frigidum favere intermittentibus, quæ propterea autumnò & vere tam frequentes sunt: siccum & valde frigidum acutis inflammatoriis: humidum & calidum verò putridis malignisque febribus. Mutatâ hâc aëris constitutione plerumque mutantur natæ sub ea febres in alias, secutæ aëris temperiei, & ægroti variæ dispositioni sive temperamento respondentes.

Si æger robustus fuerit, sanguinèque densum habuerit, febris ejus, quæ sub aëre humido frigidiusculo intermittens erat, mutato hoc aëre in siccum & simul valde frigidum aut calidum, vel sponte cessabit, vel abibit in acutam sæpe inflammatoriam, præsertim si regimen & media calefacientia simul adhibita fuerint (a).

E contrario si aër antea siccus & calidus febres acutas inflammatorias, admisso incautiùs frigore facilè accersendas, adduxit, illo postea mutato in nebulosum & frigidiusculum continuæ mutabuntur in intermittentes.

Quotiescunque verò aër prægressus calido-siccus aut humido-frigidus, prædictis febribus opportunus, in humidum & calidum fatiscit, disponit ad febres catarrhales putridas, lentas & malignas pro varia ubique dispositione corporum & applicatorum auxiliorum. Pulcherrima hanc in rem habet aphorismorum HIPPOCRATIS Sectio tertia.

Ob hanc aëris diversam constitutionem febres, sive vernaes sive autumnales fuerint, citiùs vel seriùs incipiunt, & vicissim citiùs vel seriùs desinunt, ità, ut autumnales intermittentes ob aërem humido frigidiusculum interdum
Junio

(a) НУХНАМ Dissert. de pleurit. & peripneum.

Junio & Julio incipiant, & rursus ob incidentem aëris constitutionem siccam & frigidam solitò citiùs evanescant, aliis- que alterius speciei febribus locum faciant (a). Rectè proinde dixit SYDENHAM, eum incerto tramite vagari, qui in cura febrium anni constitutionem ob oculos non habuerit.

THESIS LXXV.

OMnes hucusque enumeratæ febres interdum solitariae sunt, interdum complicatæ.

Solitariæ vocantur, quando nulla suspicio est alterius conjunctæ febris aut morbi alius.

Complicatæ appellantur, quando cum alia febre aut evidenti morbo sociatæ sunt.

THESIS LXXVI.

Complicatarum febrium alia dicuntur idiopathica, alia symptomatica.

Idiopathica sic vocantur ab authoribus tanquam propria: *symptomatica* verò tanquam accidentales seu consequentes febres. Dicuntur & *protopathica* sive primariae aut essentialis, & *deuteropathica* sive secundariae; divisione medico practico scitu perquam necessariâ, ne morbo primario neglecto symptoma, velut umbram relicto corpore, fugare incassum satagat.

THESIS

(a) HUXHAM de Febr. iuermitt.

THESIS LXXVII.

FEbres idiopathicae dicuntur, quae a nullo alio morbo dependent, sed sua sponte existunt.

Verum quidem est, omnes febres a causis praedisponentibus, qui veri jam morbi sunt in corpore praeeistentes (a), oriri atque foveri, ut proinde omnes hoc sensu symptomatice dicendae essent. Sed cum haec causae praedisponentes vulgo minoris fiant, quam ut pro veris morbis, ope medicae dignis, habeantur: hac divisione eas febres idiopathicas appellamus, quae se solis subsistunt, neque ab evidentiore aliquo morbo producuntur & quasi sustentantur.

THESIS LXXVIII.

Symptomatice sunt, quae a morbo quodam evidentiore foventur & aluntur.

Tales ferè sunt omnes chronicae, uti hectica, phthisica &c., quae semper ex alio praeeistente morbo nascuntur & sustentantur, neque recedunt nisi sublato eo morbo: tales itidem possunt esse multae acutae aliis acutis aut chronicis symptomatice accidentes.

Veteres aequè ac recentiores varias febrium symptomatarum species ab urgente quodam symptomate deduxerunt:

Causum five febrem ardentem vocarunt eam, quae calorem urentem & sitim inexplebilem sociatam habet.

Leipy-

(a) Vid. Thef. XIX.

Leipyviam ab incendio internarum & frigore extremarum partium:

Afoden ab anxietate & nausea:

Heloden a profuso sudore:

Pbricoden a frequentiori horrore:

Epialam a caloris & frigoris permisto sensu nuncupantur. Quarum plures apud ETTMÜLLERUM & GORTERUM videre est. Ut plurimum febres malignæ sunt ob peculiaria hujusmodi symptomata notabiliores.

Hemitritæam quoque symptomaticis adnumerant. Interim varia est hujus febris acceptio: interdum sumitur pro febre maligna alternis diebus exacerbationes frigore distinctas habente, cum aliæ exacerbationes conjunctæ febris quotidianæ sine algore sint (a). Interdum verò significat omnes febres quotidianas ex tertiana, id est, graviore alternis diebus paroxysmos habentes, sive continuæ fuerint, sive intermittentes (b).

Strictè autem febres symptomaticæ non a symptomate quodam eminentiori æstimandæ, sed speciales & veræ febres sunt alteri evidenti morbo supervenientes: aliàs symptomata tantùm febrilia dici merentur.

Symptomata febrilia alio sensu morbi sunt a febre producti & unà cum illa affligentes, sub quibus febris interdum ità latet, ut difficulter cognosci possit (c). Quorum symptomatum notas & criteria sufficienter evolvit GORTER. in *Comp. Med.*, & *syf. prax. gener.* Delitescentia febris intermit-

(a) Vid. Thef. XXXI. Num. 4.

(b) Vid. SENNERT. de Febr. Lib. 2. Cap. 21. & JONSTON. idea Med. Pract. Lib. 7. Art. 4.

(c) Vid. Thef. XIV.

termittentis sub alio morbo specialiter ex sedimento lateritio in urina dignoscitur.

THESIS LXXIX.

Possunt omnes febres tam acutæ quàm chronicæ, tam ordinariæ quàm malignæ fieri symptomaticæ, dum aliis morbis aut sibi invicem symptomatico modo superveniunt.

Sic vulneri symptomatica est febris acuta ordinaria: hydropi non rarò peripneumonia aut febris hectica phthisicaque symptomaticè accidit: febris acutæ ordinariæ & simplici pleuritis aut peripneumonia vel ex sinistra curatione, vel regimine calidiore, vel admissò frigore, vel denique ex condensatione phlogistica spontanea sanguinis per motum febrilem supervenit: variolis, dysenteriæ, pleuritidi, ictero non rarò febres malignæ vel ex incidente constitutione epidemica vel ex inquilino viscerum vitio symptomaticè adjunguntur (a). Causum cum tertiana complicatum, & pleuritidem quartanæ supervenientem observavit v. SWIEIEN (b): pleuritidi aliisque inflammatoriis non rarò jungi febrem biliosam, ex bile circa primas vias corrupta & accumulata, non superandam, nisi evacuatâ hæc saburrâ biliosâ vel per vomitum vel diarrhæam, restantur obviæ practi-
corum observationes: quo casu locum habent *curationes empyricæ* MARTINI RULANDI, qui in pleuritide præmissâ venæsectione passim vomitoria & purgantia exhibet.

Inter-

(a) Vid. НУХНАМ de pleurit.

(b) Comment. Tom. 2. Aph. 732.

Interdum ità complicantur plures febres, ut dubium sit, quænam primaria vel secundaria dici debeat: *confusas* vocant antecessores nostri (a).

THESIS LXXX.

AD modum aliorum morborum, febrium aliæ vocantur endemiæ, aliæ epidemiæ, sporadicæ aliæ.

Endemiæ dicuntur febres unius speciei, quæ certæ cuidam regioni propriæ & quasi populares sunt; ità, ut ferè omnes ibi commorantes iisdem corripì soleant ex causis vernaculis aëris, aquarum &c.

Sic quæ loca aëre humido, crasso, nebuloso, effluviis aquarum stagnantium referto squallent, febrium intermittentium feracia esse solent. Pertinaces & mali moris febres (*intermittentes*) Stutgardiæ dudum ferè endemias ex GEU-
DERO memorat WERLHOFF. (b).

Epidemiæ sunt itidem febres sub una specie grassantes, quæ quidem communibus de causis, hærentibus in aëre, victu vel contagio, plures eodem tempore adoriuntur, sed non vernaculæ aut domesticæ sunt illi loco, in quo identidem grassari solent. Hoc adjectivo appellantur pleuritides, anginæ, febres catarrhales, dysentericæ, malignæ, aliæque continuæ & intermittentes, quando populariter grassantur.

Sporadicæ vocantur febres diversæ speciei, quando nec turmatim, nec eodem modo plures simul, sed hinc inde quenquam afficiunt non ex causis communibus, sed singularibus tantùm, illique corpori, in quod incidunt, propriis & inquilinis; uti dum unus continuâ biliosâ, alter intermittente, pleuritide alius laborat.

THESIS

(a) Vid. SENNET. loc. suprâ citat.

(b) Observ. de Febr. pag. 212.

THESIS LXXXI.

Dividuntur denique in legitimas & illegitimas.

Legitimæ sunt, quæ omnia phœnomena illi speciei februm, quam exhibent, propria secum habent: uti dum febris intermittens quolibet paroxysmo data *Thesi* VI. symptomata præ se fert.

GORTER eas febres legitimarum nomine intelligere videtur, quarum causa in universo humorum circulantium & vasorum systemate diffusâ est: cum eas, quæ a bile in primis viis corrupta, aut ab aliis causis topicis, sive hinc inde in corpore alicubi hærentibus, ortum habent, symptomaticas appellet (*a*).

Illegitimæ dicuntur, quando dictorum symptomatum unum alterumve abest, aut alia insolita, neque tamen periculosa, conjuncta sunt, aliàs enim malignæ forent (*b*). Sic intermittens illegitima erit, quæ frigus ab initio vel nullum vel admodum leve habuerit; aut cujus paroxysmi novis incidentibus horroribus perturbantur. Sic pleuritis illegitima est, quæ sine notabili æstu, aut tussî, aut sine pulsu velociore & fortiore est.

Ex hoc capite illegitimæ dicuntur febres autumnales aut vernaes, quando continuarum schema aliquamdiu mentitæ in intermittentes postea dehiscere solent.

Veteres dixerunt illegitimas, quæ ob causas compositas & diversas non habebant ordinarium decursum, uti febres omnes duplicatæ, triplicatæ, a bile & pituita simul peccantibus oriri creditæ.



(*a*) Prax. Med. §. 191. Num. X.

(*b*) Vid. Thef. XIX.

PARERGA
EX
UNIVERSA MEDICINA.

EX PHYSIOLOGIA.

- I. *A*ctio cordis non a solo influxu liquidi nervei in villos & sanguinis venosi in cava cordis, sed a peculiari irritabilitate simul dependet.
2. Pulmones in inspiratione sunt in statu violento.
 3. Suspiria sanguinis motum per arterias promovent:
 4. Hinc anxietas ad suspirandum nos instigat.
 5. Respiratione digestio assumptorum multum promovetur.
 6. Quapropter sedentarii & lucubratores cibos minus feliciter digerunt.
 7. Respiratio ad mortem usque potest inhiberi, exemplo desperabundorum, qui sibimet ipsis mortem accersunt, falso opinantes, laqueo vel alia re trachæam sic constringi, ut suffocentur.
 8. In pulmonibus non miscetur aër sanguini, licet in eo detur aër:
 9. Qui tamen vim suam elasticam exercere nequit.
 10. Motu inordinato, putredine, fermentatione & frigore aër sic ex humoribus nostris extricatur, ut elasticitatem acquirat.

*

11. In

11. In sano autem hominis statu nulla fit fermentatio, putredo, effervescencia, vel præcipitatio.
12. Exinde vanitas medicamentorum præcipitantium elucet.
13. Assumptorum mutatio in humores inquilinos potissimum perficitur multâ humorum inquilinorum permissione.
14. Hinc in hominibus nimiam hæmorrhagiam passis raro ruber faciei color redit.
15. Licet bilis necessaria sit ad sanitatem, aliquo tamen respectu est excrementitia.
16. Sal naturale nostrorum humorum maximè congruit cum sale ammoniaco.
17. A quo tantum in eo differt, quod hoc destillando non mutetur, illud verò in liquorem alcalinum volatilem evebatur.
18. Plures, quàm 5. sensus sunt admittendi.
19. Perspiratio insensibilis est maxima evacuatio, multumque fecum & urinae excretionem superat.
20. Sicut inter album & cutem consensus datur juxta illud HIPPOCR. alvi laxitas, cutis densitas &c. ita quoque pulmones & cutem consentire docet difficultas respirationis suppresso sudore, & vice versa.
21. Calor suscitatur a vasorum actione in fluida, horumque reactione in vasa, non autem a fermentatione, calido innato &c.
22. Humiditas infantum debetur vasorum multitudini, quæ in senio coalescunt, non verò humido radicali.

EX PATHOLOGIA.

23. Vomitus causa proxima sola non est inversus fibrarum ventriculi motus, sed simul convulsio musculorum abdominalium.

24. Eiusdem causa remota sepiissime extra ventriculum in vicinis visceribus hæret.

25. In plethoricis aut obesis est perspiratio minor.

26. Spicula non sunt sola causa rapturæ vasorum frigore congelatorum, sed simul ær frigore ex humoribus extricatus.

27. Vix dantur in nostro solo febres continuæ continentes, exceptâ ephemerâ.

28. Acrimonia acida, alcalina, ammoniacalis nascitur in corpore, quin acida, alcalina vel sal ammoniacum fuerint ingesta.

29. Mutata sanguinis circulatio in fœminis ut plurimum appetitum imminuit vel depravat.

30. Hæmorrhoides sepius nascuntur ab obstructione viscerum in hypochondriis nimiaque vasorum abdominalium laxitate, quâ sanguis majori copiâ in iisdem congeritur; quod, si in vasis pulmonalibus obtineat, facile fit hæmoptœ.

31. Perspiratio nimis aucta lipothymiam imò & mortem causare potest.

32. Causa mortis a fulgure videtur plerumque a vacuo inducto vel ab acido sulphuris derivanda esse.

33. Aër nimis levis, gravis, elasticus, frigidus, calidus, non renovatus, sed ex hominibus exspiratus acutissimos parit morbos imò & mortem.

34. Huc quoque pertinent carbonis clausi vapor, ær
sub-

usterraneus diu reclusus, halitus vini fermentantis, Gas Helmontii dictum, farina volatilis fungi perniciosi, fumus sulphuris vel cujusvis acidi mineralis, quæ uno momento sufforare possunt.

35. Sitis in acutis non semper oritur a densitate humorum, sed etiam ab acrimonia &c.

36. Humores nostri possunt fieri crassiores sine tenuiorum evacuatione.

37. Irritabilitas causa est, quòd infantes lacte ex matre irata vel perterre facta exsucto convellantur.

EX SEMIOTICA.

38. Signum pathognomonicum sæpius constat ex multis signis simul congregatis.

39. Hæmorrhagia narium pessimum signum est in acutis dissolutoriis.

40. Hæmorrhagia frequentior non semper denotat plethoram.

41. Cuticula phlogistica non solum in acutarum initiis, sed etiam in gravidis & robustis observatur.

42. Nec ejus absentia semper inflammationis absentiam declarat, uti nec pulsus mollis.

43. Facies Hippocratica post alvi fluxum est minus periculosa.

44. Somnus ægrorum cum oculis semiclausis summam indicat debilitatem, in non assuetis.

45. Coma phrenitidi junctum valde malum.

46. Flavedo sub cute transparens bonum exhibet signum sanguinis extravasati brevè resolvendi.

47. Respiratio celerrima & tardissima mortem instare indicat.

48. Re-

48. *Respiratio suffocativa in hystericis & hypochondriacis non est adeo formidanda.*

49. *Respiratio frigida est indicium gangræne aut sphaceli.*

50. *Urina subinde in summo periculo apparet sanissima.*

51. *Arenulæ in urina non sunt sufficiens nephritidis vel calculi signum.*

52. *Non est signum evidens mortis, si nulla in plumula ori hominis admota undulatio observetur, vel nulla macula speculo admoto aspergatur, vel si aqua in vasculo sterno vel tertiæ costæ imposito non agitetur.*

53. *Sanguinis mittendi indicia non tantum a pulsu duro aut forti, sed etiam a debili & oppresso interdum petuntur.*

54. *Dolor alicubi in interioribus, sitis, inquietudo, respirationis difficultas, etiam pulsu existente debili, justum inflammationis metum incutiunt.*

55. *Eadem proinde signa venæsectionis sæpe repetendæ necessitatem indicant.*

EX HYGIENE.

56. *Homines parè nutriti & laboribus addicti venæsectione & alviduotione sæpius morbos sibi accersunt, quàm præcavent.*

57. *Qui dietâ lautâ gaudent, iis frequentior & moderatus corporis motus maximè conducit.*

58. *Animi pathemata, uti quandoque pariunt, sic quoque tollunt gravissimos morbos.*

59. *Nihil magis valetudinem corrumpit, quàm perpetua animi sollicitudo & tristitia.*

60. *Hinc jucundi semper animi affectus ut insigne commendantur cosmeticum.*

61. *Sanissimi sunt morbis brevè lethaliſſimis maximè obnoxii.*

62. *Summa ingenii perſpicacia plerumque indicat corpus minùs ſanum.*

63. *Longævitas hominum antiquis temporibus viventium ſimplicitati ciborum multùm eſt adſcribenda.*

64. *Vita ſe ipſam deſtruit, & longævitas naturalis juſto tantùm ipſius vitæ moderamine procuratur, ità, ut nec langueat, nec vigeat magis humorum per vaſa motus.*

65. *Quam ob rem juvenutem nimis laborioſam brevè ſequitur canities præmatura.*

66. *Pariter nocet, liberos intenſioribus ante annos ſtudiis adſtringere, uti patet in liberis præmature ingenii acumine præditis, qui propter consolidatas, & brevè exſuccas redditas cerebri fibrillas raro longævi ſiunt.*

67. *Animi tranquillitas & aſſiduus labor moderatus maximè ad longævitatem diſponunt.*

68. *Inanis eſt jactantia eorum medicamentorum, quibus vitam ad Neſtoreos annos protrahi poſſe pollicentur, cum nullo remedio rigiditas & vaſorum coaleſcentia, mortis ſenilis cauſa, impediri queat.*

EX THERAPIA.

69. *Venæſectio in febris malignis ſæpe locum habet, imò neceſſaria eſt, præſertim in junioribus & lautè paſtis.*

70. *Exanthemata ſubinde perversâ curâ contra morbi genium ineptis medicamentiſ expelluntur.*

71. *Venæſectioni, ſi illa aliunde indicetur, non contradicunt.*

72. *Imò retracedentia eandem ſubinde poſtulant.*

73. *In febris ardentibus & inflammatoriis princeps*

reme-

remedium est venæsectio ad 3. 6. 9. vices quovis morbi die pro exigentia signorum corollario 54. recensitorum repetenda.

74. Imò eandem iidem morbi in pueris exigunt.

75. Proinde falsum æquè ac damnosum est vulgare principium, elapsâ febris die 4. vel 5. sanguinem non amplius detrahendum esse.

76. Ex putridis febribus plures evadunt cum alvo laxa, quàm cum clausa.

77. Hinc præcipua indicatio therapeutica in illis est, inter remedia cardiaca & corrigentia album æquè ac cutem apertam servare.

78. Malignæ febres ex sua indole vomitum non exigunt, nisi nausea, morsus ventriculi, amaror oris aliâque signa eum indicantia adsint.

79. Non omnis conatus ad vomendum vomitoria exigat: sepe enim ille ex inflammatione ventriculi, hepatis &c. aut ex consensu oritur.

80. Anxietas multis in casibus laxam album requirit.

81. Insitio variolarum omne propemodum, quod aliâs creant, periculum avertit.

82. Præcipua ad hanc operationem corporis præparatio consistit in abstinentia a carnibus & ovis, & in diætâ tenui acescente & demulcente.

83. Spiritus alcalini volatiles virtutem nervinam antispasmodicam possident.

84. Quâ virtute ortas ex difficili infantum dentitione convulsiones æquè compescunt, ac arcanum Goddarti.

85. Nulla ex metallis tutò desumuntur medicamenta, nisi ex Marte & Mercurio.

86. Nullam proinde ratione auri vim cardiacam habent unctura auri &c. ex auro præparata.

87. Nec

87. *Nec magno cum fructu auri folia multis compositionibus pharmaceuticis admiscuntur.*

88. *Majori cum fundamento ferrum statuitur aurum medicum.*

89. *Lues venerea etiam sine salivatione curari potest.*

90. *Magisterium perlarum & coralliorum planè inutile est medicamentum.*

91. *Pulvis antispasmodicus malè adhibetur ad sopiendos quosvis calores volatiles.*

92. *Martialia profluvium uterinum sistunt, & obstructionem mensium reserant.*

93. *Acetum dilutum magnâ resolvendi virtute pollet.*

94. *Juvenis sani accubitus senes maximè confortat.*

95. *Purgantia non solos morbosos, sed & bonos educunt humores.*

96. *Unde interdum curant & pariunt hydropem.*

97. *Morbi pectoris purgantia respuunt, sed amant diuretica.*


98. *Virtus, hæmorrhagiam sistendi, pulveri sympathetico adscripta potiùs debetur spontaneæ vasorum solutorum contractioni.*

99. *Ligatura statim post partum multos præcavet morbos.*

100. *Multi puerperarum morbi clysmata lenesque evacuationes non tantum ferunt, sed sæpe exigunt præter vulgi opinionem.*

101. *Convulsiones infantum continuata abstergentia postulant, nisi ex sola dentitione orientur.*





Cum natura aliis longam latamque figuram,
Ac ingens cerebrum, sed sine mente, dedit;
Atque loco cerebri tantum Tibi dat cerebellum
Et tam grande tamen praestitit ingenium;
Miro: & ipsa suos lusus natura stupecit,
Dum parvum cerebrum mens peracuta colit.
Contra naturam, stupeo! sed debeo fari:
Ædibus en totis incola major inest.
Artis Pœoniæ Tu Regulus esse mereris,
Quod mihi non Rex sis, parce! statura vetat.
Gaudeo Te doctum, Te dignum gaudeo, jure
Cui cingat doctum docta Corona caput.
Optans ex animo, meritis ut digna sequatur
Praxis, quid dico? congrua praxis adest.
Exspectat jamjam Te Gerlocuria, sanos
Ut sanos serves, morbificosque juves.
Vade igitur! prosterne febres! depellito mortem!
Sic Morbosorum tota caterva gemit.
Hoc unum rogit, ne Te fortuna superbum
Reddat, sed servi sis memor, oro, Tui.

JOANNIS PAULI GREE
Medicinæ & Pharmaciæ in Hospitali Juliano
Candidati.

Quis natura alius longam laetantem ferunt
Ac ingenia certant, sed hoc mentis, datur
Atque loco ceteri tantum Tibi haec ceterum
Et tam grande tamen praestitit ingenium
Mior: Et ipsa fides huius mentis habet
Iam parvum ceterum meum, et ceterum
Contra naturam, super! sed deo fuit
Meditans in totis visceribus meis
Aris Teoriae Tu Regulas esse mentis
Quod mihi non Rex fuit, tunc! huius venit
Gaudeo Te doctum, Te dignum gaudeo, huius
Qui cingit dectum doctis Coronas capite
Quare ex animo, mentis ut huius huius
Fuit, quid dicit, congrua huius huius
Expecta tantum Te Galliarum, haec
Et Janus huius, motus huius huius
Vale huius! profertis huius, delecta huius
Sic Meditator, huius huius huius
Hoc namque reges de Te formae huius
Reddat, sed servis huius, oia, Tibi

JANUS PAVUS
Abbas B. huius huius huius



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

